DE AGESILAI, QUI XENOPHONTIS NOMINE FERTUR, AUCTORE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIV. MENSIS APRILIS A. MDCCCLXXIII.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

IN PUBLICO DEFENDET

GERARDUS TERWELP,
RHENANUS WISSELENSIS.

MONASTERII.

FORMIS JOSEPHI KRICK.

MDCCCLXXIII.

FRANZISCO EBBEN,

PHILOSOPHIAE DOCTORI

COLLEGII AUGUSTINIANI PRAESIDI

HOC STUDIORUM TIROCINIUM

D. D. D.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Quum nunquam satis deplorare possimus, multa clarissimorum antiquitatis scriptorum opera temporum malignitate interisse, Xenophontis libri omnes secunda fortuna nobis conservati sunt. Eorum autem, qui eius nomine feruntur, alios adulterinos esse viri docti satis firmis comprobaverunt argumentis, de aliis disceptatio nondum est ad finem deducta. Sic de libello quoque, qui inscribitur Agesilaus, adhuc apud iudicem lis est. Omnis quidem antiquitas, quae quo propius aberat a Xenophontis aetate, eo melius quae vera sint, cognovisse saepe creditur, de Agesilai origine non dubitavit. Nullum enim eius rei vestigium invenitur. Multi autem veterum scriptorum Xenophontis esse libellum planis verbis professi sunt.

Contra hanc antiquitatis auctoritatem superiore demum seculo exstiterunt, qui laudationem non esse Xenophonteam efficere conarentur. Imprimis Valckenarius, cuius magnum in re critica nomen est, Agesilaum a Xenophonte abiudicandum esse contendit. Quem qui impugnarent, non defuerunt. Zeunius, Baumgartenius, Weiskius, Sauppius, Schneiderus, Heilandius, Breitenbachius, qui libellum ediderunt, praeterea Westermannus[1], Delbrückius[2], Christianus[3],

---

[1]) Cf. G F. Vossius: De historicis graec. libr. III. s. v. Xenophon. (Editio Westermanni. Lips. 1838.)

[2]) Xenophon, Zur Rettung seiner durch L G. Niebuhr gefährdeten Ehre. Bonn. 1829.

[3]) Cf. prooemium ad vers. germ. pag. 1193 sq.

Spillerus[1]), Buttmannus[2]) una quasi voce omnes Xenophontem eius esse auctorem affirmant. Attamen post has virorum doctorum quaestiones res acta habenda non est. Neque enim semper Xenophontis defensores verum videntur esse amplexi neque Valckenarius, qui breviter et in transcursu de laudatione dixit, omnibus quaestionis partibus lumen adhibuit. Quare quum iudicium a viro summae eruditionis et auctoritatis profectum omnino vanum esse nequeat, sed certe aliquo fundamento nitatur, at vero alii et in his quoque viri ingenio doctrinaque praestantes diversam sequantur sententiam, quaestio exoritur, quibusnam argumentis diversa haec iudicia firmata sint.

Hoc quantum pro virium commentationisque modulo fieri potest, de integro exquirere mihi proposui. Atque in hac re instituenda eum ordinem eamque rationem optime servari posse iudico, ut res, quae in laudatione narrantur, totamque sententiarum et orationis indolem deinceps respiciens evincere studeam, suo iure Valckenarium Xenophonti librum eripiendum esse statuisse maximeque probabilem esse eius opinionem, scriptorem esse sophistam.

Quaestionis, quae mihi proposita est, difficultates sentio, quam sint magnae. Neque unquam viribus sane infirmis eam aggressus essem, nisi inde me haud ita exiguam percepturum esse utilitatem atque laetitiam sperarem. Itaque si forte quid in hac vel illa re peccavero, veniam mihi daturos esse confido lectores illud Xenophontis animo reputantes: *Χαλεπὸν οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν.*

---

[1]) Quaestionum de Xenoph. hist. graec. specimen. p. 46.

[2]) Agesilaus. Halle. 1872. p. 29. 81. 285.

Particula I.

Veterum scriptorum testimonia.

Antequam ad ipsum encomium aggrediamur, nobis inquirendum est, quibus veterum scriptorum testimoniis nostrum de hoc libello iudicium nitatur. Quorum de numero homo doctus Beckhausius[1]) haec habet: „Si veterum, inquit, testimoniorum copia librorum auctoritatem ponderare velimus, haud scio an nullum opusculum Xenophonti maiore iure sit tribuendum.“ Et profecto si quis quot antiquitatis testimonia Baumgartenius collegerit, Heilandius in convenientem redegerit ordinem comperiat, omnem de Agesilai origine scrupulum vel morosissimis criticis eripi necesse esse putet. Sed rem non ita se habere facile nobis persuadebimus.

Ut vero quasi ab ovo ordiamur, Xenophontem ipsum indicem scriptorum suorum non composuisse, immo ne unius quidem libri auctorem se esse professum notissimum est. At quantopere celare studuerit, se Anabaseos scriptorem esse, cum ex tota illius libri ratione intellegitur, tum inde quod in Hellenicis (III. 1. 2.) Cyri expeditionem Themistogeni cuidam adscripsit, quem veterum scriptorum nemo, quod sciam, talem librum composuisse tradidit. Non enim Xenophon. qua erat modestia, scriptoris laudem captavit, sed rerum utilium scientia virtutisque amore aequales im-

---

1) Cf. de Xenoph. qui fertur Agesil. p. 1. Huius dissertationis censuram egit B. Büchsenschützius in Schneidew. Philol. 23. p 651. sq.

buere ei satis fuisse videtur. Quod quamquam certis argumentis confirmari fortasse non potest, concludere tamen licet vel ex iis, quae in libro de venatione scripto Xenophon affirmavit: *Ἐγὼ δὲ ἰδιώτης μέν εἰμι, οἶδα δὲ ὅτι κράτιστον μέν ἐστι παρὰ αὐτῆς τῆς φύσεως τὸ ἀγαθὸν διδάσκεσθαι, δεύτερον δὲ παρὰ τῶν ἀληθῶς ἀγαθόν τι ἐπισταμένων μᾶλλον ἢ ὑπὸ τῶν ἐξαπατᾶν τέχνην ἐχόντων· ἴσως οὖν τοῖς μὲν ὀνόμασιν οὐ σεσοφισμένως λέγω· οὐδὲ γὰρ ζητῶ τοῦτο κ. τ. λ.* (cf. XIII. 4, sq.)

Praeterea conferre iuvat initium libri, cui inscriptio est *περὶ ἱππικῆς*.

Ita factum est, ut post Xenophontis mortem scripta eius vulgo ferrentur, sed quis esset eorum auctor, ignorabant plurimi. Multorum annorum spatio praeterito Alexandriae et Pergami celeberrimae illae bibliothecae conditae sunt, quarum praefecti nimio correpti studio omnes omnium scriptorum libros acquirendi quaestionem interdum omittebant, utrum scripta allata vere illius essent, cuius nomine ferebantur nec ne. Inde igitur ab ipso illo tempore librorum supponendorum fraudem tamquam novum genus quaestus faciendi exstitisse facile suspicari licet. Fuerunt tum sine dubio etiam ii, qui libros, quo facilius hominum plausus ferrent, clarissimi cuiusque scriptoris notarent nomine. Ex his certam quandam fidem iam tum magnopere evanescere elucet, id quod in dies magis fieri videmus in Alexandrinis posterioribus, qui neque sincero iudicio utebantur neque accuratiores inquisitiones instituebant; sed suo quisque saepe agebat arbitrio. Quam ob rem iure meritoque Fr. A. Wolfius [1]) queritur, quod temporibus illis suppositorum librorum cura fere neglecta iacuit.

Quodsi revera ita est, quum nullum testimonium ipsam Xenophontis aetatem attingat, quaestionem num ille Agesi-

[1]) Cf. Prolegg. ad Homer. pag. 48. Vide praeterea Jos. Tuellmann. de Platon. Menexeni consilio et origine. cap I.

laum scripserit, male se habere intelleges, nisi testimoniis hominum critica facultate atque ingenii subtilitate praeditorum eum huius libri auctorem esse certissime confirmatur. Proinde videamus, qui qualesque sint, quorum auctoritate Agesilai defensores nitantur.

Atque vetustissimi testes afferuntur Tullius Cicero et Cornelius Nepos, quorum neutri hac quidem in re satis confidere licet. Tullium[1]) enim aliis et publicis et privatis negotiis distractum non ipsum diligentius inquisivisse vel ex eo cognoscitur, quod in quaerenda Platonis scriptorum origine dubiam Alexandrinorum auctoritatem sine scrupulo secutus est neque ullum ex eis, quae illi genuina esse arbitrati sunt, in dubitationem vocavit. Eo autem minus Ciceronis verbis niti debent, qui libellum Xenophonti vindicant, quod ad locum memorabilem capitis XI. §. 7. spectavit, nam hoc caput omnes, etiam libelli editores suspectum habent.

Non maiore fide dignus est Cornelius[2]), qui veris falsa saepissime admiscuit. Accedit, quod ex eius verbis quidquam certi colligi non potest, quum nimis dubium videatur, utrum rerum Graecarum an laudationis scriptorem intellexerit, nam ab utroque Agesilaus eximie laudatus est, si quidem de quinque posterioribus Hellenicorum libris Peterus[3]) recte iudicavit. Id saltem satis constare credo, Cornelium historiam Graecam, quamvis multa ex encomio hauserit, non omnino neglexisse. Quantopere igitur Nipperdeius[4]), qui dicit haec: „Nur die Lobschrift auf Agesilaus, keine von Xenophons aechten Schriften hat Nepos benutzt,“ quantopere, inquam, a vero aberraverit, non iam opus est pluri-

---

[1]) Cf. Ep. ad famill. V. 12: Spartiates Agesilaus ille neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse. Unus Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes omnium imagines statuasque superavit.

[2]) Cf. vita Ages. I: Agesilaus cum a ceteris scriptoribus, tum a Xenophonte Socratico eximie collaudatus est.

[3]) Comment. crit. de Xenoph. Hellen. p. 85.

[4]) Cf. prooemium p. 5.

bus demonstrare, quum Heilandius[1]) Cornelium deceptum historiae Graecae narratione iterum decepisse interpretes docte ostenderit. Sed fac Nepotem declarare voluisse Xenophontem scriptorem Agesilai. Inde tamen nihil aliud effici nisi Cornelium aliorum opinionem temere divulgavisse quivis concedet, qui quam neglegenter, quam incuriose ille in libris, unde hausit, versatus sit, non ignorat. Suo igitur iure neque Ciceronis neque Nepotis testimonium magni fecisse videtur ipse Heilandius, qui allatis eorum verbis ita pergit: „Maioris, inquit, momenti videtur esse Dionysius Halicarnassensis."

Sane minime spernenda est auctoritas Dionysii, nobilis[2]) illius et omni doctrinarum genere exculti[3]) critici, qui ut Weismanni[4]) verbis utar, eo erat vir acumine ingenii, ut ne unum quidem opus ederet, quo non permulta obscura illustraret, falsa refutaret, nova investigaret. Atque huius tanti viri verba afferuntur haec: „*Καὶ Ξενοφῶν δέ, ὁμολογῶν ἐγκώμιον Ἀγησιλάου ἐρεῖν, λέγει ἐν ἱστορίας λόγῳ τὸ σχῆμα ποιούμενος. καὶ παρὰ τῷ Ξενοφῶντι πάλιν ἔν τε τῇ Παιδείᾳ καὶ τῇ Ἀναβάσει εὑρήσετε ἐσχηματισμένους λόγους*" i. e. Item Xenophon dum profitetur se Agesilai laudes esse praedicaturum, historiam narrando figura utitur. Apud Xenophontem porro in Cyri institutione et expeditione orationes figuratas invenietis. Ecce, inquiunt, clarissimum clarissimi critici testimonium! Quod num verum sit, diligentius inquiramus. Inveniuntur igitur verba illa in eo Dionysii libro, qui inscriptus est *τέχνη ῥητορική*. (Cf. Cap. IX. §. 12.) „Sed hic liber, si Tanaquilio Fabro[5]) fides habenda est, non genuinus est, certe non modo unus est e corruptissimis voluminibus, quae ad nostram aetatem pervenerunt, verum etiam

1) Cf. prolegg. pag. XXIX.

2) Voss. l. c. s. v. Dionysius.

3) Suidas s. v. Διονύσιος.

4) De Dionysii Halic. vita et script. Rintelii 1837. p. 13.

5) Cf. Not. ad Longin. περὶ ὕψους. p 329

haud raro aliis laborat erroribus minime e librariorum neglegentia repetendis nec pauca continet, quae vel omnino sibi repugnant vel non satis apte cohaerent [1])." Sic, ut exemplum afferam, verbis capitis VI. §. 1: „*καὶ ὁ Παιανιεύς*" sq. Demosthenes inter eos refertur oratores, quorum orationes funebres etiam tunc exstent legendae. At loci Dionysii: „*περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος*" pag. 1027 et 1095 [2]) eum ostendunt orationem illam funebrem, quae inter Demosthenis orationes vulgo legeretur, iudicavisse spuriam [3]). Profecto nunquam potuit talis illarum rerum iudex, qualis fuit Dionysius, orationem illam Demostheni tribuere. Locus igitur modo atlatus non a Dionysio, sed ab alio nescio quo profectus sit necesse est. Quid? si idem de verbis statuendum est, quae supra citavimus? Iam audiamus, quid de hac ipsa re Schottius, praestantissimus ille Dionysii editor, iudicaverit. „Omnis, inquit, et capitis octavi et noni indoles vetat, ne quis ab uno eodemque auctore ea profecta existimet [4])."

Idem caput octavum Dionysio adscribendum esse multis et firmis probavit argumentis [5]), sed de capite nono, de quo quaerimus, hoc iudicium in medium proferre non dubitavit: „Eae capitis noni partes, quae cum praeceptis capite octavo propositis plane consentiunt, debentur rhetori, qui quum ad exemplum Dionysianae commentationis *περὶ λόγων ἐσχηματισμένων* ipse aliam de eodem orationum genere conscriberet, Dionysium ubique ante oculos haberet. Accessere postea aliorum lectorum rhetorumve observationes vel ex ipsorum ingenio enatae vel ex aliorum commentariis et praeceptis depromptae [6])." His igitur ea quoque verba, quibus

---

1) Cf. Schottius: Dionys. Hal. prolegg. p. XI.
2) Ed. Reisk. T. VI.
3) Cf. Taylor. in oratt. graec. a Reisk. ed. T. VI. p. 231.
4) Schott. prolegg. p. XLI.
5) Schott. prolegg. p. LXV.
6) Ibid. p. XLIII.

continetur testimonium, recte ille assignavit [1]). Argumentis, quae in prolegomenis Schottius attulit, etiam id optimo iure additur, quod ipsa nominis otiosa repetitio: „*καὶ Ξενοφῶν δέ*“, „*καὶ παρὰ τῷ Ξενοφῶντι*“ haud obscurum est fraudis vestigium [2]).

Quae si recte disputata sunt, verba testimonii non Dionysii, clarissimi illius critici, sed potius hominis sunt prorsus ignoti eiusdemque falsarii, cui plane confidere prudentis esse quis est qui existimet? His nunc illud quoque adiicere mihi licebit, nullum alium apud Dionysium reperiri locum, ubi laudationis nostrae mentio facta sit. Hoc vero ipsum eius silentium aliquid ponderis habere puto. Aliud quidem est non laudari, aliud ignorari vel pro subdititio haberi neque omnino constat, quid ignorationi debeatur, quid scientis silentio, mirum tamen maxime mihi quidem videtur, quod Dionysius, qui ceteros vere Xenophonteos libros saepissime memorat, de hoc ipso libello, uberrimo nimirum fonte, tacet.

Sed iam vereor, ne nimis multa verba de loco Dionysio supposito fecisse videar, quod qui commentationem hanc legunt, mihi condonent velim. Agendum enim erat de viro, cuius diligentia, doctrina, iudicii praestantia nunquam satis laudantur. Nunc de iis, qui restant, testibus, eo brevius disseram.

Quod de Cornelio supra diximus, idem fere valere videtur de Themisthio, qui Xenophontem acerbe ita reprehendit: „*Ἀγησίλαον δὲ οἶδα τὸν βασιλέα τῆς Σπάρτης ὅτι Ξενοφῶν ὁ Σωκράτους ὁμιλητὴς οὐκ ὤκνει ἐπαινεῖν καὶ ἀμείβεσθαι μακρῷ βιβλίῳ, ἐπειδὴ αὐτῷ νέμεσθαι διεπράξατο χωρίον τι μεταξὺ Ἤλιδος καὶ Ἀρκαδίας, οὐ πόῤῥω Σκιλλοῦντος ἐν τῇ φυγῇ.*“ [3]) In his enim opinor verbis aeque dubium est, utrum ad Helle-

1) Schott. prolegg. XLIV.

2) Τέχνη ῥητορική p. 251. ed. Schott. n. 170.

3) Cf. oratt. II § 27. d. edit. Dindorf.

nica an ad laudationem scriptor spectaverit. Immo ex vocabulis: *μακρῷ βιβλίῳ* haud scio an coniici liceat, magnae potius historiae Graecae, quam libelli nostri a Themisthio rationem habitam esse.

Quintus citatur testis Diogenes Laertius, tertii seculi scriptor neglegens, cuius afferuntur verba: „*Συνέγραψε* (Xenophon) *Ἀγησίλαόν τε καὶ Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων πολιτείαν, ἥν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος.*" (II. 57.) Sed ut multis aliis locis, ita hoc quoque Diogeni fidem abrogandam esse iam Roscherus [1]) et Platenius [2]) luculenter demonstraverunt neque ego quidem quidquam habeo, quod addendum esse videatur.

Iam venimus ad Plutarchum, qui in vita Agesilai a se conscripta laudationis auctorem, quem in rebus enarrandis plerumque, in verbis eligendis saepe sequitur, Xenophontem nominat. (cap. XIX.) Minime quidem mihi probatur iniquissimum de hoc scriptore iudicium Mitfordii, qui ut suas de Philippo, Demosthene, Dionysio aliisque conceptas opiniones confirmare posset, primum Plutarchi auctoritatem deprimere studuit, interdum tamen ei pro humana imbecillitate aetatisque conditione evenit, ut in nonnullis lapsus sit, praesertim quum singulos scriptorum, quos duces sibi sumpsit, libros severae censurae non subiiceret, sed acquiesceret in eo, ut quae ipsi probabilia viderentur, ea exhiberet lectoribus. Quare diligentiae atque doctrinae laudem ei facile concedes, tamen si de iudicio critico quaeres, erunt forte, quae recte desideres. Sic aequalium sententiam secutus non solum septimam, sed etiam quartam Platonis epistolam genuinam esse censet neque de Alexandri Magni epistolis, quae ex eadem rhetorum officina, qua Agesilaus, haud dubie prodierunt, ullo modo dubitavit. [3]) Verum hoc fuisse aetatis potius, qua flo-

---

[1]) Cf. Ephem. Götting. 1841. p. 410.

[2]) De auctore libri Xenophontei, qui est de republica Atheniensium §. 1.

[3]) Cf. Plutarchi opera IV. p. 17. 18. 41. V. p. 269. edit. Reisk. et Hutten.

ruit Plutarchus, quam ipsius Plutarchi vitium H. L. Heerenius recte dicit, „quippe ubi severae critices leges, quas nos observandas praescribimus, nec satis cognitae nec observatae essent.“ [1]) Magnopere igitur cavendum est, ne nimis securi his in rebus Plutarcho fidem habeamus.

Appellatur etiam auctoritas Aristidis rhetoris, qui si quis alius accurata Graecarum literarum cognitione excellebat neque artis criticae rudis fuit. Immo vero, quod ad sermonem attinet, eum antiquos scriptores bene aestimare potuisse, ex iudicio de Demosthenis dictione facillime colligitur. Sed quum de omni alia re potius, quam de fide traditorum operum sollicitus esset, non semel in errorem deductus est. Itaque si de origine alicuius libri dubitatur, eius iudicio contentum esse non licet. Quid? quod Spengelius de libro *περὶ ἀφελοῦς λόγου*, in quo testimonium iuest, haec iudicavit: „Aristides an sit auctor huius libri, est, quod dubites; vix hunc oratorem multum de Xenophontis dicendi figura quaesivisse credas et hic liber non modo post Hermogenem scriptus est, sed insunt etiam, quae contra hunc dicta sunt.“ [2]) Quidquid de hac re statuendum est, huius quoque scriptoris auctoritatem incertam esse nemo non videt.

Denique de Athenaeo, de Polluce, de Eustathio , de Stobaeo, de Grammaticis posterioris temporis [3]) verba facere vix opus est. Hi enim omnes, in quibus res memorabiles congerendi studium magis conspicuum fuit, quam iudicii acies, eo usi sunt nomine, quod Agesilao praefixum ipsorum aetate ferebatur neque adeo in dubitationem vocatum erat, ut illis scrupulus iniiceretur.

Atque haec [4]) sunt veterum scriptorum testimonia, numero illa quidem insignia, sed ob dubiam auctoritatem fide nostra

[1]) De fontib. et auctorit. vit. parall. Plut. p. 26.
[2]) Rhetores graeci. vol. II. p. XIX.
[3]) Cf. Beckeri Anecdot. p. 336. et p. 400.
[4]) Quod de Dicaearcho Hagenius in dissertatione de Agesilao qui

non satis digna. Itaque interiores, quae dicuntur, rationes, quarum usus, si non meliore, certe eodem iure nobis concedendus est, ipsumque libellum eo accuratius contemplabimur, quo faciliore negotio Agesilai editores, quasi veterum auctoritas ea esset, quae nullo modo posset infringi, hanc rem expedierunt. Sic demum apparebit, quibusnam rebus tantus vir, quantus Valckenarius erat, adductus sit, ut laudationem Xenophonti suppositam et a sophista aliquo ex eodem auctore congestam esse contenderet.

---

fertur Xenophonteo p. 6. declamavit magis, quam disputavit, id mihi non probatur.

Particula II.

De similitudine, quae inter Xenophontis scripta et Agesilaum intercedit.

Totius encomii duae sunt partes, quarum prior caput primum et alterum complectens res ab Agesilao, Lacedaemoniorum rege feliciter gestas praedicat, posterior a capite tertio usque ad finem libelli eiusdem regis virtutum laudes comprehendit. Quam ob rem, quo melius perspiciamus, quae similitudo inter Xenophontis scripta et laudationem intercedat, quaestionem ita placet instituere, ut primum ea, quae duobus prioribus capitibus exponuntur, accurate perlustremus. Cap. I. Priusquam res ab Agesilao gestae enarrantur, pauca de nobili genere eius et de patriae praestantia praemittuntur et ita quidem in his rebus laudandis scriptor versatur, ut Xenophontis imitatorem agnoscamus. Atque primum Agesilai genus (§. 2.) eodem fere modo laudatur, quo Cyaxares se ipse praedicat in Cyropaedia V. 5. 8: *ὅτι, ὦ Κῦρε, δοκῶν γε δὴ ἐφ᾽ ὅσον ἀνθρώπων μνήμη ἐφικνεῖται καὶ τῶν πάλαι προγόνων καὶ πατρὸς βασιλέως πεφυκέναι* —neque incredibile est, scriptori in mentem venisse Croesi quoque verborum, quibus Cyri originem ille extollit: *πρῶτον μὲν ἐκ θεῶν γεγονότι, ἔπειτα δὲ διὰ βασιλέων πεφυκότι.* (Cyrop. VII. 2. 24.)

Deinde laudator, ut Lacedaemoniorum urbem atque reipublicae rationem celebrare posset, novum inquisivit fontem nec difficile erat, apud Xenophontem, qui cum alibi, tum in singulari libro de republica Laconica composito plurima de his rebus congesserat, summas laudes invenire. Ex hoc igitur ultimo libro, ut taceam de vocabulo *πρωτεύειν*,

quod inest etiam in Memor. III. 5. 14, ubi de Lacedaemoniis sermo est, eum singula perpaucis mutatis hausisse iudico.

Nam de republica eadem (§. 4.) afferuntur, quae Xenophon scripsit in Rep. Lac. cap. XV. §§. 7—8: *ὁ δὲ ὅρκος ἐστὶ τῷ μὲν βασιλεῖ κατὰ τοὺς τῆς πόλεως κειμένους νόμους βασιλεύσειν, τῇ δὲ πόλει ἐμπεδορκοῦντος ἐκείνου ἀστυφέλικτον τὴν βασιλείαν παρέξειν. αὗται μὲν οὖν αἱ τιμαὶ οἴκοι ζῶντι βασιλεῖ δέδονται, οὐδέν τι πολὺ ὑπερφέρουσαι τῶν ἰδιωτικῶν· οὐ γὰρ ἐβουλήθη οὔτε τοῖς βασιλεῦσι τυραννικὸν φρόνημα παραστῆσαι οὔτε τοῖς πολίταις φθόνον ἐμποιῆσαι τῆς δυνάμεως.* Porro sententia, qua laudes terminantur, simillima est illi, quam Xenophon eiusdem capitis initio his exprimit verbis: *μόνη γὰρ δὴ αὕτη ἀρχὴ διατελεῖ οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς κατεστάθη· τὰς δὲ ἄλλας πολιτείας κ. τ. λ.*

His ita conquisitis tertium laudator adit fontem eumque locupletissimum, Graecam dico Xenophontis historiam, ex qua fere omnia, quae de Agesilai factis narrantur, repetita sunt. Sed antequam videamus, qua ratione compilator hoc opus in suum usum converterit, alia nobis facienda est quaestio, quae non parvi est discriminis. Sunt enim, velut Weiskius[1]), Christianus[2]), Spillerus[3]), qui fieri non potuisse contendant, ut ex historia Graeca quidquam in Agesilaum transscriptum sit. Hunc enim prius, quam illam, compositum itaque rerum scriptorem vituperandum esse putant, non laudatorem. Malo nunc eam opinionem paucis refutare, quam ipsum disputationis meae cursum non interrumpere.

Sane his viris doctis concedendum est, Xenophontem, si laudationem revera scripsisset, eam scripturum fuisse statim post Agesilai mortem, quo tempore ei satis suppetebat otii ad librum exiguum ita perficiendum, ut non esset, cur divulgare eum dubitaret. Nam et ipsius et omnium Agesilai

1) Cf. Xenoph. script. vol. III. p. 411. n. 7.
2) Cf. Prooem. ad conv. germ. p. 1201.
3) Quaestionum de Xenoph. hist. graec. specimen p. 48.

amicorum multum interesse opportebat, ut quam primum ederetur. Itaque, si ullum, certe illud ipsum tempus, quo Agesilai mortem lugebant omnes, quo recens regis optimi carissimi memoria in animis superstitum vigebat, eum debebat admonere, ut illius gloriam eximie laudaret, civium desiderium incenderet, maerorem solaretur. Hoc igitur factum esse protinus post annum CCCLXI. a. Chr. n., quo anno Agesilaus mortem obiit [1]), quid esset probabilius? An putas, Xenophontem sine ulla causa quattuor totos annos vel etiam plures laudationem distulisse? Hellenicorum enim quinque posteriores libros, de quibus solis agitur, demum inter annum CCCLVIII. et eum annum, quo constat Xenophontem e vita decessisse, i. e. circa a. CCCLIV. compositos esse posse, omnium optime Spillerus demonstravit. [2])

Sed id ipsum ambigitur, num Xenophon vere sit Agesilai auctor. Quid igitur? Si laudationis scriptorem multa ex Hellenicis hausisse comprobatur, nonne verisimillimum est, a Xenophonte hoc non factum esse? Atque haec mea sententia tota utriusque libri natura et indole maxime confirmatur. Frigidum enim est atque tenue Hellenicorum dicendi genus nec mirum id quidem videtur, nam Xenophon eo tempore, quo historiam Graecam condidit, et in scribendis vel absolvendis libris maxime occupatus et senex fuit plus octoginta annorum. [3]) Solet autem ipsa senectus sermonis siccitatem et languorem afferre. Nolo ego quidem iis prorsus assentiri, quae F. Aug. Wolfius de Hellenicis scribit: „Me, ut verum fatear, quamquam pudet pigetque, huius libri Xenophontei siccitas, quum semel eum historiae causa devorassem, semper postea a diligentiore lectione absterruit.“ [4]) Etenim C. Peterus doctissime probavit, prima libri primi

1) Cf. Clinton. Fast. Hell. p. 213 s. p. 228. ed. Krüg.

2) L. c. p. 34—48.

3) Cf. Krüger. vit. Xenoph. in hist. phil. Stud. II. p. 262.

4) Cf. Epist. ad Schneiderum, Schneiderian. edit. Hellen. priori praemiss. p. 126.

capita a librario aliquo valde corrupta esse, sed in reliqua parte, si unum libri secundi caput tertium exceperis, omnia bene fluere et si quid offensionis sit, id genere non diversum esse ab iis difficultatibus, quae etiam in integerrimis antiquitatis scriptoribus reperiri soleant.[1]) Attamen illud persuasum habeo, Hellenicorum dictionem ab Agesilao ita differre, nullo modo ut fieri potuisse credam, ut rerum scriptor laudatoris verba transscripserit. Noli enim putare, omnia et singula ad verbum repetita esse, immo scriptor non solum verborum ordinem invertit, tempora modosque variavit, sed etiam nonnulla vocabula aliis, quae pleniorem plerumque habent numerum, permutavit. Porro eorum, quae illis Hellenicorum libris leguntur, quaedam in laudatione omissa, alia e contrario addita atque rhetorum more exornata sunt. Ea enim, quae ad strennam historiam pertinent, laudator iusto silentio pertransiit, addidit, quae singularis encomii natura postulare videbatur. Itaque factum est, ut Agesilai scriptor modo copiosius, quam rerum narrator, modo brevius res exponat, sed oratio ubique spirat iuvenilis animi vigorem et est modo fortior ac gravior, modo comptior atque sublimior. Quod in universum pronuntiavimus, id in singulis probemus.

Compara mihi Hell. III. 4. 16: *τῶν ἱππαζομένων* cum Ages. I. 25: *ἱππέων ἱππαζομένων*. Hell. III. 4. 24: *οἱ Πέρσαι*. Ages. I. 32: *οἱ ἀγαθοὶ τῶν Περσῶν*. Hell. IV. 3. 8: *ἡλίσκοντο*. Ages. II. 4: *ζῶντες ἡλίσκοντο*. Hell. IV. 3. 20: *πολλὰ τραύματα ἔχων*. Ages. II. 13: *πολλὰ τραύματα ἔχων πάντοσε καὶ παντοίοις ὅπλοις*. Praeterea considerandi sunt ii laudationis loci, ubi Hellenicorum narratio in brevius contracta exhibetur, exempli causa cap. II. 17: *Ἐκ δὲ τούτου κατανοήσας — στρατεύει — αἱρεῖ*. II. 18: *ἐκ τούτου δὲ αἰσθανόμενος — στρατεύει — αἱρεῖ*. II. 22: *στρατεύει — ὑπερβὰς — ἐδῄου* et ibidem *ἐστράτευσε — ὑπερβὰς — ἐδῄωσε*. II. 23: *στρατεύει — δῃώσας — ἀπεχώρησεν*.

[1]) L. c. p. 66. sq.

Huiusmodi exempla, quae quanta qualisque inter pares locos differentia sit, ostendunt, quum permulta possint afferri, pro certo opinor affirmari licet, post historiam Graecam encomium compositum esse. Qua in re mecum faciunt paene omnes Agesilai editores itemque Cauerus[1]), quamquam nonnulla speciosius protulit, quam verius, ad quos relegare velim adhuc dubitantes.

Sed ut unde defleximus, redeamus, nunc accuratius inquiramus, quae ex Hellenicis deprompta sint. Inde laudatorem rerum Graecarum scriptorem tam presso pede secutum esse intelleges, ut eius vestigio fere continuo insisteret.

Agesilaum dignum fuisse laudator dicit, qui rex crearetur. (§. 5.) Quod ut probaret, argumentum petit ex historia Graeca (III. 3. 1—4.), ubi Xenophon de regno decertavisse refert Leotychidem, qui se filium esse Agidis dicebat et Agesilaum, Agidis fratrem, Archidami filium (V. 3. 13.). Simulac Lysander explicavit, quid Apollo praecepisset, cives Agesilaum regem elegerunt.

Iam Agesilai res in Asia gestas laudator incipit exponere, historiam Xenophontis manu sinistra tenens, dextra stilum. Verbis Hellenicorum III. 3. 4: *Οὔπω δ' ἐνιαυτὸν ὄντος ἐν τῇ βασιλείᾳ* commutatis in *ἄρτι δὲ ὄντος αὐτοῦ ἐν τῇ ἀρχῇ* statim transitur ad cap. IV., ubi ab Heroda quodam nuntium in Graeciam allatum esse narratur, regem Persarum magnam classem sibi paravisse. Deinde narrator ita pergit: *ἀνεπτερωμένων δὲ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τοὺς συμμάχους συναγόντων καὶ βουλευομένων τί χρὴ ποιεῖν, Λύσανδρος — πείθει τὸν Ἀγησίλαον ὑποστῆναι, ἤν αὐτῷ δῶσι τριάκοντα μὲν Σπαρτιατῶν, εἰς δισχιλίους δὲ τῶν νεοδαμωδῶν, εἰς ἑξακισχιλίους δὲ τὸ σύνταγμα τῶν συμμάχων, στρατεύεσθαι εἰς τὴν Ἀσίαν*, quae verba laudator recipere non dubitavit. His pauca, quae apud Xenophontem non exstant, ut suam quoque ipsius doctrinam ostentaret, sophista addidit. Agesilai

[1]) Cf. Quaestion de fontib. ad Ages. histor. pertinent. p. 17. Vide praeterea Beckhaus. l. c. §. 3.

enim consilium aut pacem faciendi aut regi molestias afferendi nobiscum communicat nosque docet, quare Lacedaemonii de hoc consilio tantopere gavisi sint. Ceterum rem melius geri ab eo, qui hostes ultro aggrediatur, quam qui se defendat solum, id quod Thimbroni vitio datur (III. 1. 5.), id ipsum discere potuit a Xenophonte, qui in Hellenicis (IV. 2. 11--12.) Timolaum facit suadentem, ut Lacedaemonios in ipsa Laconica socii deprehendere studeant, cui simile Teleutiae consilium infra (V. 1. 20.) exponitur. Valde igitur dubium est, utrum haec quoque ex ingenio Xenophontis an laudatoris fluxerint. Certe hac digressione facta ad historiam Graecam reversus compilator paucis (§. 10.) comprehendit, quae ibi (cap. III. 4. 5—6.) fusius referuntur, sed singula fere encomii verba in Hellenicis reperies, exceptis his: *ὁρισάμενος τῆς πράξεως τρεῖς μῆνας*, quae unde derivata sint, quaestio est omnino obscura. Porro quemadmodum in Hellenicis (III. 4. 6.), ita hic Tissaphernis commemoratur perfidia, fides Agesilai (§. 11.) iterumque narratio paulisper interrumpitur, quo melius Agesilai virtus cognoscatur. Quattuor, quae sequuntur paragraphi (13—16.), cum Hellenicis (III. 4. 11—12.) ad verbum congruunt.

Tum rursus scriptor Xenophontem seposuit, quasi metueret, ne nimis laudatoris partes neglegere videretur. Itaque bellicam Agesilai prudentiam, quam ostendit fraude in Tissaphernem adhibita, amicorum cura, captivorum clementia, magnis effert laudibus. Quodsi quaeris, num haec de suis copiis laudator interposuerit, iure id negari arbitror. Nam plurimae, quas hic legimus, sententiae in Xenophonteis libris saepius simili ratione enunciatae sunt neque incredibile est, sophistam, quae in Cyro maiore praeclara cognoverat, eadem in Agesilaum suum audacter transtulisse.

Sic sine ulla dubitatione in Cyri institutione prudentis esse imperatoris legerat, primum hostes fallere et id non repugnare iustitiae (I. 6. 27.), deinde milites ditando benevolentiam sibi conciliare (VIII. 2. 19—22.), denique erga

captivos benigne neque unquam iniuste se gerere (II. 4. 32. III. 2. 12.). Ut praetermittam locum Hellenicorum, ubi Agesilaus fore ut se puderet ait, si amicos colere nesciret (III. 4. 9.), id quidem constare credo, compilatorem ad manum habuisse verba Cyropaediae (IV. 4. 5): *Δυοῖν ἄν, ἔφη, ἐπιμελητέον ἡμῖν εἴη, ὅπως τε κρείττους ἐσόμεθα τῶν αὐτὰ ἐχόντων καὶ ὅπως οὗτοι μενοῦσιν· οἰκουμένη μὲν γὰρ χώρα πολλοῦ ἄξιον κτῆμα· ἐρήμη δ᾽ ἀνθρώπων οὖσα ἐρήμη καὶ τῶν ἀγαθῶν γίγνεται.*

Praeterea erudimur, *λαφυροπώλας* et *ἐμπόρους* Lacedaemoniorum exercitum secutos et castra compluries esse mutata, de quibus rebus Xenophon, scriptor Laconicarum rerum peritissimus, pluribus locis verba facit.[1])

Ita laudatoris officio satisfactum esse scriptor ratus Xenophonteae narrationis filum recipit (§§. 23—33.), plurima transscribit, omittit nonnulla, nihil nisi breve encomium addit (§. 24.), ad quod nescio an referre liceat verba Hipparchici: *ἐπιτήδειον δὲ ὑπομιμνήσκειν κ. τ. λ.* (I. 19.) Quae in §. 33. narrata sunt, Agesilaum Sardes petivisse, regionem vastasse, incolas ut a Persis se liberarent, adhortatum esse, Xenophon omisisse videtur. An Rankius Hellenica hoc loco corrupta et manca esse recte suspicatus est?[2])

Inde a §. 34. usque ad §. 37. laudator haud ita arcte ad Xenophontem se applicat, sed compilatorem persequendi non desunt vestigia. Atque primum eum spectavisse invenies ad locum Hellenicorum, ubi Agesilaus inducitur sic loquens: *νῦν δὲ ἔξεστί σοι μεθ᾽ ἡμῶν γενομένῳ μηδένα προςκυνοῦντα ζῆν.* (IV. 1. 35.) Deinde verba illa in extrema parte §. 34. sumpta esse ex Hellenicis (IV. 3. 21.) negabit nemo. Porro Tissaphernis necem iisdem verbis descriptam ibidem reperies (III. 4. 25.). Multas urbes a rege ad Agesilaum descivisse

1) Cf. Hellen. I. 6. 37. IV. 1. 26. Cyrop. VI. 2. 38. Resp. Lacon. XII. 5.

2) De Xenophontis vita et scriptis. p. 20 sq. Quae Beckhausius Rankio repugnans attulit (pag. 48.), nullius momenti sunt.

eundemque rei nauticae praepositum urbibus in insulis et in ora sitis naves imperavisse narratum est in Hellenicis III. 4. 27—28. et IV. 1. 1.

Ad postremum Agesilaum summo floruisse honore et in ea fuisse spe, regem Persarum se esse capturum, sedtamen quum opus esse nuntiatum esset, patriae auxilio venire, ephoris obsecutum esse, multos lacrimavisse decedentemque regem prosequi omnes fuisse paratos rerum narrator copiosius perscripsit, ex quibus scriptor ea, quae ei placebant, eadem vocabula plerumque retinens, elegit atque rhetorice exaggeravit. Compara quaeso Hellenicorum cap. III. 5. 1. et cap. IV. 2. 2—4.

Cap. II. Hoc altero capite laudator eandem historiam Graecam secutus res ab Agesilao in Graecia gestas enarrat. Atque initium sumptum est ex libro quarto, ubi Agesilaum legimus eadem via, qua Persarum regem, cum exercitu in Graeciam profectum esse quam celerrime. (IV. 3. 1.) Deinde a §. 2. usque ad §. 7. servilis ille compilator Xenophontem rursus ad verbum exscripsit, qui in Hellenicis plane eadem memoriae prodidit. (IV. 3. 3—10—15.) Iam ut supra, ita hic quoque Agesilai rei militaris prudentia simili modo praedicatur, quo Xenophon Cyrum maiorem laudavit, quare singula e Cyropaedia hausta esse statuere velim. Compluribus enim locis Xenophon Cyrum enixe operam dedisse commemorat, ut hostes militum numero adaequaret vel adeo superaret neque temere eum cum paucis contra multos pugnam commisisse. [1]) Idem milites omnibus rebus ornavisse et ita exercuisse dicitur, ut labores facilius tolerare possent. [2]) Praeterea animos suorum ardore atque alacritate, gloriae cupiditate, spe magna implevit. [3]) Eadem iisdem interdum verbis si de Agesilao praedicantur, num credis, miram hanc

1) Cf. Cyrop. IV. 5 15 V 2. 22.

2) Cyrop. IV. 2. 22. VI, 4. 1. III. 3. 9. VIII. 1. 36.

3) Ibid. II. 1. 13. III. 3. 12. — II. 1. 22. VI. 2. 4. VII. 1. 18. VIII. 1. 39. — I. 6. 19.

utriusque libri similitudinem caeco cuidam fortunae lusui adscribendam esse?

Tum ad narrationem, unde digressus erat, scriptor ita redit, ut pugnam apud Coroneam factam, paucis modo variatis, Xenophonteis coloribus depingat.[1]) Illis se rebus interfuisse Xenophon in Anabasi[2]) tradidit, unde hoc haud dubie laudator deprompsit. Alia quae addita sunt, quamvis aliqua saltem ex parte similia sint iis, quae in Cyropaedia[3]) pugnae descriptioni inserta sunt, ita tamen sunt formata, ut rhetorem protinus agnoscas.

Pergo ad proximas paragraphos 17—20.

Bellum Corinthiacum in Hellenicis[4]) fusius narratum ad verbum repetere scriptoris consilio non convenit, repetit autem sic, ut ex maiore rerum copia eum apta delibasse satis appareat. Etiam verba encomii: *τὰ ἐπὶ τὸ Λέχαιον τείνοντα τείχη* ex hist. Graec. IV. 4. 7: *τὰ κατατείνοντα ἐπὶ Λέχαιον τείχη* eum mutuatum esse intelleges. Denique emporium illud, cui nomen erat Creusis, quum de eo apud rerum narratorem saepius sermo sit[5]), mirum non est, quod hic quoque memoratur. Similiter copiosiorem narrationem pugnae cum Acarnaniis commissae laudator in brevius contraxit (§. 20.), Xenophontis verba aut leviter mutans aut omnino retinens.[6]) Verbis *καὶ οὐ πρότερον ἔληξε πρὶν κ. τ. λ.* altera indicatur Agesilai in Acarnaniam invasio, quam Xenophon his verbis terminat: *καὶ εἰρήνην μὲν πρὸς τοὺς Ἀχαιούς, συμμαχίαν δὲ πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους ἐποιήσαντο.*[7]) Ad hos potissimum locos ii spectare debebant, qui Agesilaum prius quam Hellenica compositum esse contendunt. Acarna-

1) Hell. IV. 3. 15—22.
2) Cf. Anab. V. 3. 6. De hoc loco vide Krüger. vit. Xenoph. p. 22.
3) Cyrop. VII. 1. 25 et 35.
4) Hell. IV. 4. 19. — V. 5. 5.
5) IV. 5. 10. V. 4. 16. 60. VI. 4. 3.
6) IV. 6. 1. 3. 9. 12.
7) IV. 7. 1.

niis adiunguntur et Aetoli et Argivi, quorum populorum mentio facta est in Hellenicis IV. 6. 14. et 7. 2—4.

Quae de pace per Antalcidam conciliata in laudatione dicta sunt, quam bene cum historia Graeca conveniant, quivis videbit, qui libri quinti caput primum, ante omnia §§. 29. 32—34. diligenter comparaverit.[1]) Expeditio porro contra Phliasios suscepta, qui timore commoti exules se recepturos esse polliciti erant,[2]) sed non steterant promissis, in Hellenicis (V. 3. 10—17.) pariter exposita est.

Paragrapho insequenti (22.) duo Agesilai itinera adversus Thebanos facta paucis referuntur, quibuscum comparandus est Xenophon in Hellenicis V. 4. 34—49. Tum pergit, usque ad illud tempus urbem et Agesilaum felices fuisse neque calamitatum postea ingruentium culpam in eius imperium conferri posse. Nimirum apud Xenophontem [3]) Agesilaum per totum annum gravi morbo laboravisse legerat. His rebus adversis merito silentio transmissis breviter narratur, quomodo Agesilaus necem Tegeatorum cum Lacedaemoniis foedere coniunctorum ultus sit. Quam rem Xenophon accuratissime exposuerat in Hellenicis VI. 5,[4]) unde laudatorem sua hausisse in promptu est. Iam qua virtute Agesilaus urbem ab hostibus et plurimis et fortissimis defenderit, singulis huius narrationis membris ex historia conquisitis summatim refertur. Atque hostium nomina exstant in Hellenicis VI. 5. 23. In §. 28. Sparta vocata est *ἀτείχιστος*. Ex capite quarto eiusdem sexti libri laudator cognoscere poterat, quot pugna apud Leuctra facta interfecti essent.[5]) Alia quae adiecit, sumpsisse videtur ex Hellenicis VII. 2. 2., ubi haec leguntur: *σφαλέντων δ' αὐτῶν ἐν τῇ ἐν Λεύκτροις μάχῃ καὶ ἀποστάντων μὲν πολλῶν περιοίκων, ἀποστάντων δὲ πάντων*

---

1) Vide tamen, quae de hoc loco infra p. 51. exposui.

2) Cf. Hell. V. 2. 10.

3) Hell. V. 4. 58.

4) Huc maxime pertinent verba §§. 9. 21.

5) V. §. 15.

τῶν Εἱλώτων. Neque ultima §. 24. verba de suo penu lautorem attulisse existimo, quum plenioris narrationis appareant vestigia, quibus se invitus prodit, qui Xenophontem contraxit. Mihi quidem dubium non est, si quis contenderit verba Hellenicorum VII. 5. 8. 10. 11. 12, quin futurum sit ut compilatorem deprehendat.

Recte igitur de hac quidem parte, quidquid Beckhausius contradicit,[1]) vir doctus Cauerus iudicavisse videtur: „Maxime, inquit, in enarranda impressione, quam Thebani in Laconiam feceruut, res confunduntur. Exordium huius narrationis si spectes, de prima invasione auctor cogitavit. Hoc enim sequitur ex hostium numero, qui cum Hellen. VI. 5. 23. fere consentit, minime autem cum Hellen. VII. 5. 4. ubi alterius expeditionis socii enumerantur. Deinde ipsae res gestae tam vage referuntur, ut utram expeditionem auctor narraverit, non liqueat. Denique si finem relationis spectas, secundam expeditionem auctor in mente habuisse videtur. Quis Xenophontem tantae confusionis auctorem iudicaverit?"

Quae in encomio a §. 25. usque ad finem huius capitis narrantur, de iis certum iudicium fieri vix potest, quum quae ab Agesilao inde a pugna Mantinensi gestae essent, neque Xenophon neque ullus illius aetatis scriptor servatus, quantum video, memoriae tradiderit. Fortasse scriptor secutus est Theopompum, de quo A. H. L. Heerenius scripsit haec: „Theopompum ea, quae in temporis intervallo, quod inter finem Hellenicorum (a. 394) et initium Philippicorum intercedit, gesta sunt, nisi omnia, saltem graviora, episodiis maiori operi insertis repetivisse verisimile est. Tum Agesilai, tum Epaminondae res gestas Theopompum attigisse clarum est ex fragmento, quod apud Athenaeum p. 614. habes." [2])

Ex iis, quae attuli, satis opinor elucet, laudatorem, Xenophontis historia sub oculis posita plurima ad verbum

---

1) L. c. pag. 14.

2) Cf. De Trogi Pompeii fontibus et auctoritate pag. 195 et 216.

transscripsisse, aliis usum esse ita, ut brevior uberiorem, obscurior illustriorem secutus esse videatur. Suo igitur iure Valckenarius: „Qui, inquit, fertur esse Xenophon, quando recedit a Xenophonteis ex historia Graeca ad verbum describendis, frigidus Agesilai laudator et sophista." [1]) Idem alibi [2]) haec habet: „Et crederemus, Xenophontem, qui easdem sententias plurimis locis habet, sua ipsius, quae dederat in historia Graeca, centena continuo in Agesilai encomio transscripsisse?"

Profecto hoc a Xenophonte factum esse nemo credet, nisi qui de eo iniquissime cogitet.

Iam venio ad alteram encomii partem, qua Agesilai morum virtutumque laudes continentur. Antequam vero ea, quae restant, capita accuratius examinemus, si forte quibusdam iusto magis propcusi videamur, ut ubique Xenophontis vestigia inquiramus, illud monendum esse censeo, ut semper secum reputent, quam multa compilatorem illius ex libris sumpsisse nobis modo persuaserimus. Sed quum de hac parte non aeque certe ac de priore statui liceat, suum cuique de his rebus iudicium libenter committam. Proinde quo facilius quid iudicandum sit, intellegere possimus, singula proponamus.

Cap. III. Laudator priusquam de singulis virtutibus loquitur, Agesilai rationem vivendi ita in universum praedicat, ut Xenophon laudaverat Sphodriam harmostam: *πάντα τὰ καλὰ ποιῶν διετέλεσε* et Cleonymum, filium eius: *ζῶν ἅπαντ᾽ ἐποίει, ὅσα καλὰ ἐν τῇ Σπάρτῃ.* [3]) Atque fortasse memoriam habebat verborum Socratis, quibus ille illud *καλὸν κἀγαθόν* explicat: *ἄνδρας καὶ καλὰ πράττοντας καὶ τῶν αἰσχρῶν ἀπεχομένους.* [4])

His praemissis iam id scriptor agit, ut quam religiose Agesilaus iusiurandum et pactum servaverit, tribus exemplis

1) Cf. Adnotat. ad Herod. III. 134.
2) Adnotat. ad Memorab III. 3. 9.
3) Cf. Hellen. V. 4. 32. et 33. — 4) Cf. Memor. II. 6. 17.

ex historia Graeca petitis illustret. Atque primum invenitur in Hellenicis III. 4. 10, ubi Spithridates ad Agesilaum defecisse narratur: *ἐκεῖ δὲ ὁ Λύσανδρος αἰσθόμενος Σπιθριδάτην τὸν Πέρσην ἐλαττούμενόν τι ὑπὸ Φαρναβάζου, διαλέγεται αὐτῷ καὶ πείθει ἀποστῆναι ἔχοντα τούς τε παῖδας καὶ τὰ περὶ αὐτὸν χρήματα καὶ ἱππεῖς ὡς διακοσίους.* Alterum est in Hellen. IV. 1. 3: *ἐπεὶ δὲ ἀφίκετο εἰς τὴν Παφλαγονίαν, ἦλθεν Ὄτυς* (hunc Xenophon in §. 2. appellat *τὸν τῶν Παφλαγόνων βασιλέα*) *καὶ συμμαχίαν ἐποιήσατο. καὶ γὰρ καλούμενος ὑπὸ βασιλέως οὐκ ἀναβεβήκει. — κατέλιπε τῷ Ἀγησιλάῳ Ὄτυς χιλίους μὲν ἱππέας, δισχιλίους δὲ πελταστάς.* Tertium denique legitur in Hellen. IV. 1. 29—37. Unde quae deprompta sint ut videas, satis erit haec notare: *Οὗτος οὖν εἶπε πρὸς τὸν Ἀγησίλαον, ὡς οἴοιτο συναγαγεῖν αὐτῷ ἂν εἰς λόγους περὶ φιλίας Φαρνάβαζον. — ὁ δὲ Φαρνάβαζος ἧκεν. — Ἐγὼ τοίνυν, ἔφη, ἐὰν βασιλεὺς ἄλλον μὲν στρατηγὸν πέμπῃ, ἐμὲ δὲ ὑπήκοον ἐκείνου τάττῃ, βουλήσομαι ὑμῖν καὶ φίλος καὶ σύμμαχος εἶναι· ἐὰν μέντοι μοι τὴν ἀρχὴν προστάττῃ, τοιοῦτόν τι, ὡς ἔοικε, φιλοτιμία ἐστίν, εὖ χρὴ εἰδέναι, ὅτι πολεμήσω ὑμῖν ὡς ἂν δύνωμαι ἄριστα.* His Pharnabazi verbis laudator adiecit: *καὶ ταῦτα λέγων ἐπίστευε μηδὲν ἂν παράσπονδον παθεῖν*, quae ex Anabasi hausta esse suspicor, nam de Cyro minore idem dicitur: *καὶ εἴ τις πολέμιος ἐγένετο, σπεισαμένου Κύρου ἐπίστευε μηδὲν ἂν παρὰ τὰς σπονδὰς παθεῖν.*[1])

In eodem libro inest eadem sententia paene iisdem verbis expressa, quibus hoc caput clauditur.[2])

Adeo igitur in hoc quoque capite compilator cum Xenophonte concinit, ut vel singula verba inter se respondeant. Quae quamquam neminem fugiunt, incredibili tamen audacia Breitenbachius declarat, in capite tertio nihil reperiri iisdem verbis expressum atque in libro historico.[3])

---

1) Cf. Anab. I. 9. 8.
2) Cf. Anab. VII. 7. 41.
3) Cf. praefat. p. XI.

Cap. IV. Eorum, quae de Agesilai iustitia laudator composuit, plurima Xenophontis saepe de hac virtute disserentis esse contendo. Alia quidem ita sunt comparata, ut difficilius sit, ea ad certa illius verba referre, attamen alia cum Xenophonte ita quadrant, nulli ut dubium esse possit, quin ex eius ingenio emanaverint. Primum collegere iuvabit verba Memorabilium,[1]) quibus Socratis, itemque locum Anabaseos,[2]) ubi Cyri iustitia laudatur. Alteram paragraphum scribenti Memorabilium libri secundi caput secundum ante manus oculosque positum fuisse verisimile est. Ibi enim Socrates sermone de *ἀχαριστία* cum filio instituto pari modo ingratos numerandos illos quidem esse inter iniustos, sed tamen legibus non condemnari docet.[3]) Ad cumulandas Agesilai laudes additur in encomio, ei visum esse plus reddere quam accipere, quod idem de Thrasybulo Xenophon tradidit.[4]) Sententia, quae sequitur (§. 4.), occurrit nobis eadem in Cyropaedia. Quin etiam eiusdem operis verba: *ὑμεῖς ἐμὲ οὐ ποιήσετε μισθοῦ περιιόντα εὐεργετεῖν*[5]) laudator imitatus sit, vix videtur ambiguum.

Tum Agesilaus deteriori conditione uti maluisse dicitur, si modo honeste ageret, quam iniuste facere, quamvis magnum inde lucrum redundaret. Cui haec legenti non in mentem venit, quod Xenophon de Proxeno scripsit: *ἔνδηλον καὶ τοῦτο εἶχεν, ὅτι τούτων οὐδὲν ἂν θέλοι κτᾶσθαι μετὰ ἀδικίας, ἀλλὰ σὺν τῷ δικαίῳ καὶ καλῷ ᾤετο δεῖν τούτων τυγχάνειν, ἄνευ δὲ τούτων μή.*[6]) Quae in fine huius capitis de se ipse Agesilaus gloriatur, eadem de Cyro maiore Hyrcanius laudat.[7]) Ceterum conferatur Hagenius.[8])

---

1) Memor. IV. 8. 11.
2) Anab. I. 9. 19.
3) Memor. II. 2. 1. et 13.
4) Hell. III. 5. 16.
5) Cyrop. I. 6. 11. et III. 3. 3.
6) Cf. Anab. II. 6. 18.
7) Cyrop. V. 1. 28 — 8) L. c. pag. 49.

Cap. V. In temperantia Agesilai praedicanda compilator haud dubie rursus ad manus habuit Memorabilia, in quibus Socrati similiter laudi ducitur, quod cibo potuque modice usus sit atque abstinuerit voluptatibus venereis.[1]) Huic laudi scriptor memorabilem illum reipublicae Laconicae locum[2]) adiecit paulum quidem, sed ita mutatum, ut a Xenophonte ipso hoc factum esse minime probabile sit. Quod recte vidit M. Hauptius, cuius verba facere non possum, quin repetam[3]): „Wenn dies Buch wirklich von Xenophon ist, so ist es wenigstens an einer Stelle gedankenlos geschrieben. Zu Anfang des 5. Capitels, wo Agesilaus' Mässigkeit im Essen gepriesen wird, heisst es nach L. Dindorf's sicherer Verbesserung: *διμοιρίαν κ. τ. λ.* Diese durch kein „oft" oder „zuweilen" gemilderte Erzählung ist abgeschmackt. Bei solcher Freigebigkeit wäre ein spartanischer König Hungers gestorben. Verständig sagt das Buch vom Staate der Lacedaemonier u. s. w."

Ea quoque, quae interposita sunt (§§. 2—3.), eidem Xenophonti deberi existimo, qui in Cyropaedia[4]) Cyrum facit loquentem: *ἐγὼ δὲ οἶμαι, ἔφη, τὸν ἄρχοντα οὐ τῷ ῥᾳδιουργεῖν χρῆναι διαφέρειν τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ τῷ προνοεῖν καὶ φιλοπονεῖν προθυμούμενον* et Cyri patrem ita: *καὶ ἐπὶ τῶν πράξεων δέ, ἢν μὲν ἐν θέρει ὦσι, τὸν ἄρχοντα δεῖ τοῦ ἡλίου πλεονεκτοῦντα φανερὸν εἶναι, ἢν δὲ ἐν χειμῶνι, τοῦ ψύχους, ἢν δὲ διὰ μόχθων, τῶν πόνων. πάντα γὰρ ταῦτα κ. τ. λ.*

Haec si cum laudatione contuleris, non nimia tibi videbitur audacia, quod encomii verba Xenophontis imitatione efficta esse contendi. Quid denique de exemplo a scriptore allato censebimus? Ex Hellenicis petitum non est, nam Xenophon id modo refert, Agesilaum Megabatis pulchritudi-

---

1) Mem. I. 3. 6. 8. 15.
2) Resp. Lac. XV. 4.
3) Schneidew. Philol. 1848. p. 546.
4) Cf. Cyrop. I. 6. 8. et 25.

nem admiratione dignam habuisse puerique carissimi profectione gravi affectum esse dolore.[1]) Num forte his innisus sophista alia finxerit? Fuit certe aetas et genus scriptorum, qui solo delectandi studio ducti ea, quae narrarent, fingerent. His laudatorem annumerandum esse ut credam, eo potissimum adducor, quod nullo modo mihi persuadere possum, Agesilaum, hominem prudentissimum, in re tam exigui momenti talia hariolatum esse, qualia hic habemus: *οὐ τὼ σιώ, οὐδ' εἰ μέλλοιμί γε αὐτίκα μάλα κάλλιστός τε καὶ ἰσχυρότατος καὶ τάχιστος ἀνθρώπων ἔσεσθαι· μάχεσθαί γε μέντοι πάλιν τὴν αὐτὴν μάχην ὄμνυμι πάντας θεοὺς ἦ μὴν μᾶλλον βούλεσθαι ἢ πάντα μοι ὅσα χρυσᾶ γενέσθαι.* Nonne hos clamores imprudentem et, ut ita dicam, fanaticum hominem magis decere putas, quam sanum sobriumque Laconem? Deinde narrationem mendacii speciem prae se ferre vides, quod eam veram esse tantopere confirmatur et ita confirmatur, ut sibi ipse scriptor repugnet. Nam ubi primum hanc rem paucis tantum notam esse dixit, statim addit, illustrium hominum res omnium minime latere[2]) neque Graeciam Agesilai facta dictaque ignorare. Neque minus verba: *ἀεὶ δὲ ἦν ἢ ἐν ἱερῷ ἢ ἐν φανερῷ* iis repugnant, quae in capite VI. 6. leguntur: *πολλάκις ἄδηλος γιγνόμενος, ὅπου τε εἴη καὶ ὅποι ἴοι καὶ ὅ,τι ποιήσοι.* Num quis est, qui Xenophontem talia admisisse audeat dicere? Sed ut unde recessit oratio, eo revertatur, ad caput VI. perlustrandum transeamus.

Cap. VI. Bellicam Agesilai fortitudinem atque scientiam scriptor summis effert laudibus, quarum virtutum argumenta ex iis, quae supra[3]) auctore Xenophonte narrata sunt, sumpsit. Sed eas quoque, quas interposuit, sententias phrasesque magnam partem ex eodem fonte, nisi fallor, servilis compilator hausit. Inter alia comparatione maxime dignae

---

1) **Hellen. IV. 1. 6. et 28.**

2) Nescio an huc pertineat locus Cyrop. I. 6. 25: ἄρχοντα εἰδέναι, ὅτι οὐ λανθάνει, ὅ,τι ἂν ποιῇ.

3) V. cap. I. 17. II. 12.

sunt laudes, quibus Iason in Hellenicis[1]) celebratur. Atque ea, quae de Cyro Xenophon exposuit, laudator fortasse respexit. Is singulari quadam prudentia suorum sociorumque amorem sibi conciliat,[2]) in iis, quae bonum imperatorem efficiunt, *τὸ ἐξαπατᾶν, τὸ λανθάνειν, τὸ φθάνειν* talis est, ut fere nunquam propositum non exsequatur,[3]) denique exercitum ordine instructum cum silentio procedere iubet.[4])

Cap. VII. Initio capitis septimi Agesilao laudi vertitur, quod neque laborem neque pericula fugiebat, quando se patriae prodesse posse existimabat. Verba *πόνος* et *κίνδυνος* Xenophon componere solet tamque saepe anaphora *πᾶς μὲν πόνος, πᾶς δὲ κίνδυνος* usus est, ut diligentem eius librorum perscrutatorem id praeterire non posset.[5])

His adiungitur: *οὐ χρημάτων κ. τ. λ.*, quibus verbis ea repetuntur, quae supra dicta sunt.[6]) Deinde laudator, quomodo Agesilaus patriae civiumque saluti consuluerit, exponit ratione Xenophontis, qui Cyrum eum depinxit regem, qui a suis pater appellaretur[7]) et ipse haec diceret: *παραπλήσια ἔργα εἶναι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ — τὸν βασιλέα (χρῆναι) εὐδαίμονας πόλεις καὶ ἀνθρώπους ποιοῦντα χρῆσθαι αὐτοῖς.*[8]) Porro eum ad manum habuisse Memorabilium libri quarti caput quartum ex ultimis §. 3. verbis facile cognoscitur, quae cum §. 16. illius capitis adeo conveniunt, ut compilatorem non agnoscere nequeamus.

Iam duobus exemplis comprobatur, quantopere Agesilaus universam etiam amaverit Graeciam. Quot Graeci proelio Corinthiaco occisi essent, Xenophon in Hellenicis

---

1) Hell. VI. 1. 15.
2) Cyr. I. 1. 3. et VII. 1. 30.
3) Cf. Cyrop. III. 1. 19.
4) Cyrop. V. 3. 43. et 53.
5) Cyrop. I. 2. 1. I. 5. 13 III. 3. 51 et alibi saepissime.
6) Ages. II. 25.
7) Cyrop. VIII. 2. 9.
8) Cyrop. VIII. 2. 14.

tradiderat in eodemque libro de exulibus Corinthiorum sermo est.[1]) Quod Agesilaus dicit, Graecas urbes in servitutem detrudi non debere, idem apud Xenophontem Callicratidas sociis respondet.[2]) Quanto erga Graecos amore, tanto in Persas odio Agesilaus affectus fuisse idque egisse describitur, ut gentes ad se deficerent. Huic simile est, quod in Hellenicis[3]) legitur: *πάλαι τούτου ἐπιθυμῶν, τοῦ ἀφιστάναι τι ἔθνος ἀπὸ βασιλέως*, quare hoc quoque ad Xenophontem refero.

Cap. VIII. Agitur de iis virtutibus, quae hominibus vere magnis magno sunt honori. Ac primum quidem Agesilao tribuitur comitas, modestia, facilitas. Haec quamquam singula apud Xenophontem non exstant, tamen non prorsus desunt, quibus rhetor niti possit. Nam in Hellenicis[4]) inveniuntur haec: *ὁ δὲ Ἀγησίπολις τῷ Ἀγησιλάῳ ἱκανὸς μὲν ἦν καὶ ἡβητικῶν καὶ ἱππικῶν καὶ παιδικῶν λόγων μετέχειν.* Praeterea conferre licet ea, quae de Cyri[5]) et de Socratis[6]) consuetudine narrata sunt, ad quorum exemplum Agesilaum effictum esse iam antea vidimus.

Deinde libera celebratur Agesilai contumacia, quam ostendit in repudiandis Persarum donis litterisque, dum ipse ab omni avaritia alienus Persarum regi etiam in vivendi ratione tamquam adversarius opponitur. Ita ea, quae supra[7]) significata sunt, novis exemplis illustrantur novisque amplificantur laudibus. Ad extremum Agesilaum quum rationem reditus et impensarum diligenter institueret, nunquam coactum esse laudator praedicat, ut iniuste faceret. Haec nonne eius est sententia, qui Socratem inducit dicentem: *δικαιότε-*

1) Cf. Hell. V. 1. 34.
2) Hell. I. 6. 14.
3) Hell. IV. 1. 2.
4) V. 3. 20.
5) Cyrop. VII. 5. 53.
6) Conviv. IV. 44.
7) Ages. cap. IV. et VII.

ρον δὲ τίνα ἂν εἰκότως νομίσαιτε τοῦ πρὸς τὰ παρόντα συνηρμοσμένου, ὡς τῶν ἀλλοτρίων μηδενὸς προςδεῖσθαι;[1])

Cap. IX. In priore huius capitis parte scriptor ostendere pergit, Spartani regis vivendi ratio quam longe differat a regis Persarum moribus. (§. 1—6.) Quos ut cognosceret, nullum uberiorem fontem adire poterat, quam librum de institutione Cyri conscriptum. Et profecto ex hoc Xenophontis opere hausta sunt plurima. Atque quo minus dubites, eos afferam locos, ad quos laudator spectavisse videtur. Cyrus igitur eo maiestatem affectavisse narratur, quod raro in publicum prodibat et aditus ad se reddebat difficiliores.[2]) De magnificis lautisque regis epulis, de adiumentis somnum concitantibus, de sedis mutandae consuetudine Xenophon ibidem copiosius refert.[3]) Hac parte ita absoluta inde a §. 6. usque ad finem Agesilaum vanam certaminum publicorum gloriam contempsisse demonstratur. Sed ne haec quidem scriptoris propria sunt. Compara quaeso ultimum Hieronis caput, praecipue §§. 6. 7. 13—15., iam videbis, quam multa compilator Xenophonti eripuerit.

Cap. X. Quum nihil fere novi de Agesilao hic proferatur, mirum non est, quod praeter locutiones quasdam nihil ex Xenophonteis libris laudator desumpsit. Ut taceam de locis Memorabilium I. 2. 2. et 19., Socratis et Cyri maioris sermones ante mortem habitos[4]) comparatione dignos esse censeo. Ille enim, missis aliis, locutus est haec: *σὺ δὲ εἰπὲ εἴ τινα οἶσθα ὑπ' ἐμοῦ γεγενημένον ἢ ἐξ εὐσεβοῦς ἀνόσιον ἢ ἐκ σώφρονος ὑβριστὴν κ. τ. λ.*, quae laudationis §. 2. verbis simillima sunt. Hic qualis fuerit et puer et iuvenis et rex, breviter dicit, tum interrogat ita: *πῶς οὐκ ἂν ἐγὼ δικαίως*

1) Cf. Apolog. 16.
2) Cyrop. VII. 5. 37. 41—42. VIII. 1. 45.
3) Cyrop. VIII. 2. 5 VIII. 8. 16. VIII. 6. 22.
4) Cf. Apolog. 19. Cyrop. VIII. 7.

μακαριζόμενος τὸν ἀεὶ χρόνον μνήμης τυγχάνοιμι; Haec scriptorem capitis finem afferentem intuitum esse quis negabit?

Cap. XI. Quod de capite superiore, idem valet de hoc ultimo, cuius maxima pars sententias iam allatas complectitur. Insunt autem nonnulla, quae repetitionis nomine comprehendi non possunt, sed ut nova adduntur, quorum quaedam Xenophonti assigno tamquam auctori. Sic Agesilaum plane eadem ratione Deos coluisse legimus, [1]) qua Cyrum maiorem, de quo Xenophon scripsit: *ὕμνει τε ἀεὶ ἅμα τῇ ἡμέρᾳ τοὺς θεοὺς καὶ ἔθυεν.* [2]) Ad §. 3. conferenda sunt verba Memorabilium IV. 5. 24 et ad §. 5. eiusdem libri locus: *πάντων κτημάτων κράτιστον εἶναι φίλον ἀγαθόν.* [3]) Porro ex Anabasi quoque pauca desumpta esse puto. Ut laudator Agesilaum, [4]) ita Cyrum Xenophon praedicat. [5]) Atque sententia, quae est in §. 4., in Anabasi [6]) similibus expressa est verbis. Ad postremum etiam ea, quae de Agesilai amico mortuo Xenophon in Hellenicis [7]) refert, adnoto: *κομισθεὶς οἴκαδε ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς*, quae cum ultimis Agesilai verbis mirum quantum congruunt.

Atque haec habes, quae meo iudicio Xenophontis potius sunt, quam laudatoris. Nolo equidem pro certo affirmare, omnia et singula, quae attuli, Xenophonti deberi, immo me vereri fateor, ne parum encomii scriptori attribuerim, attamen id saltem apparet, tam multa ex Hellenicis, e Cyropaedia et Anabasi, e Memorabilium libro aliisque hausta esse, iure ut quaeratur, utrum hoc Xenophontis ingenio indignum videatur necne.

---

1) Cyrop. VIII. 1. 23.
2) Ages. §. 2.
3) Mem. II. 4. 1.
4) Ages. §. 3.
5) Anab. I. 9. 16.
6) VII. 6. 21.
7) Cf. Hell. V. 3. 19.

Sane natura sua Xenophon in exiguum quasi gyrum inclusus fuit, ut in iis, quae semel vera et honesta et utilia esse sibi persuaserat, se contineret eademque eo saepius repeteret, quo magis ipsi curae essent. Sed hoc ad philosophiae praecepta a Socrate accepta, ad sententias universe pronunciatas locosque communes pertinet, de rebus gestis id valere nego. Quod si Breitenbachius[1]) vix fieri posse arbitratur, quin multa repetat verba multasque sententias, qui easdem res bis quamquam diverso consilio narret eoque minus vituperandum esse Xenophontem, qui quae olim de Agesilao in historia Graeca tradiderit, certe iterum diligenter legerit itaque vel invito auctore non pauca ex altero libro in alterum irrepsisse, respondeo, bonum scriptorem, qui easdem res bis tractet, quamvis narrationem mutare difficile sit, hanc molestiam non defugere, sed novam rerum speciem lectoribus proponere studere. Hoc autem studium in laudatore, qui pleraque ad verbum repetere non dubitavit, prorsus desiderari vides. Neque Xenophon is erat, qui quemadmodum diceret, laboraret, sed summam eius fuisse scribendi facilitatem omnium consentiens vox est. At alii multi antiquitatis scriptores in hac re certe minus, quam huius aetatis homines religiosi non raro eadem iisdem verbis transscripserunt, velut Plato, Demosthenes, Isocrates. Quod his licuit, licuit etiam Xenophonti. Hoc argumento primus usus est Kuihnius[2]) eumque secuti sunt Weiskius, Heilandius, Breitenbachius alii. Sed Kuihnius ipse postea vehementer dolebat, quod adolescentulus vixdum perlecto Xenophonte contra Valckenarium contendere ausus esset eiusque Manibus satisfieri cupiebat.[3]) Nec iniuria, nam permulti loci in uno eodemque auctore bis occurentes spurii et librariorum culpa

---

1) Cf. Praefat. p. XI.

2) Cf Fragm. vindiciar. Ages. Xenoph.

3) Cf. Epistol. Weiskii editioni praemiss. p. 408.

in scriptores intrusi reiiciendi sunt.[1]) Oratoribus autem, quibus interdum ex tempore dicendum erat, si nonnulla antea memoriae mandata repetierunt, multo id facilius condonari licet, quam Xenophonti, qui nullo urgente abundabat otio. Itaque iniuriam Xenophonti facere ii mihi videntur, qui eum vel ingenii tenuitate vel sermonis inopia vel scribendi neglegentia excusare conentur. Haec non est excusatio, sed accusatio acerbissima. Quae quum ita se habeant, Valckenario assentiamur necesse est.

[1]) Cf. G. Hermann. in nov. annal. philol. et paedag. vol. XXXIII. fasc. II. p. 115. sq.

Particula III.

Utrum laudatio cum Hellenicorum narratione congruat necne.

Iure meritoque omnes a Xenophonte postulant, ut in sententiis alibi ab ipso pronunciatis sibi constet. Itaque si in laudatione invenientur, quae historiae Graecae plane repugnent, nullo modo concedi poterit, ab eodem auctore utrumque librum profectum esse.

Atqui talia in encomio inesse Valckenarius his significavit verbis: „Qui sub nomine Xenophontis Agesilaum laudavit, talem illum finxit. In edit. Hutchinsoni pag. 80. *ἀναμάρτητος*, inquit, *ἐτελεύτησε*, quem Xenophon in Hellenicis ut virum egregium miratur, hominis tamen atque imperatoris peccata commemorare non praetermisit: ut unum de multis attingam, vide *Ἑλλ.* L. V. pag. 333, 29. quaeque illic sequuntur et pag. 334.“ [1])

De hoc laudationis loco quum iam multa a viris doctis, qui Xenophontis exstiterunt defensores, disputata sint, priusquam quod ipse sentio exponam, illorum sententias breviter examinabo. Atque primum Reizius [2]) Valckenarium facillime refelli hac ratione putat, ut dicamus, non simpliciter legi *ἀναμάρτητος ἐτελεύτησε*, sed his addi *καὶ περὶ τούτους, ὧν ἡγεῖτο καὶ περὶ ἐκείνους, οἷς ἐπολέμει.* „Non igitur, inquit, Agesilaum multa peccasse negatur, sed nihil eum peccasse neque in suos cives aut milites, neque in hostes.“

---

1) Cf. Diatrib. Eurip. p. 266.

2) Cf. Prosod. graec. accent. inclin pag. 59. edit. Fr. A. Wolf.

Sed hac interpretatione Valckenarii argumentum minime infringi protinus intellegitur. Non enim, quid maxime quaeratur, Reizius perspexit. An Valckenarium credit sive neglegentia sive consilio verba illa *καὶ περὶ τούτους κ. τ. λ.* non vidisse totumque locum aliter atque ipsum interpretatum esse? Certe Valckenarius, vir magno ingenii acumine, magna diligentia atque religione vidit omnia omniaque recte intellexit. Verum enimvero in his ipsis verbis difficultatem inesse censet, quum compluribus Hellenicorum locis Agesilaum et contra cives et contra hostes peccavisse narratur. Debebat igitur Reizius ostendere, si scriptorem ab omni culpa liberare volebat, quomodo laudationis verba cum historia Graeca conciliari possent, sed ne unius quidem loci, quem attulit Valckenarius, rationem habuit. Quare mirum nobis videtur Fr. A. Wolfii de hac re iudicium, qui in adnotatione ad Reizii librum facta haec scripsit: „Nescio an nihil aliud egerit Reizius, quam ut unum quoddam Valckenariani iudicii momentum elevaret.“ Nequaquam enim elevavit ille, quod ne vidit quidem.

Aliud placuit Zeunio. Non de omni Agesilai vita omnibusque rebus gestis accipienda esse verba illa opinatur, sed de rebus, quas ille in summa senectute, inprimis in Aegypto proxime ante mortem gesserit. Haec sententia, quam Baumgartenius recepit neque improbavit Weiskius, impugnata est ab Heilandio, qui hoc nomine Agesilaum vix potuisse laudari dicit ob perfidiam in expeditione Aegyptiaca ostensam. Adde quod verba laudationis universe sunt prolata neque ullum, quocunque explicantur modo, in iis invenitur indicium, quo ultimae tantum expeditionis successum a scriptore intellegi comprobetur.

Ne eam quidem viam, quam Weiskius et Schneiderus Kuihnium secuti ingressi sunt, equidem possum ingredi. Hi recte dici eum posse iudicaverunt *ἀναμάρτητον*, qui non saepe peccasset et beatum tota vita functum, qui non multum mali vidisset. Nimirum tali modo omnis difficultas facillime

sublata est. Sed haec vilissima et viris vere doctis indignissima interpretandi ratio, quamvis quibusdam placeat, mihi nunquam probabitur. Plurimum enim interesse inter nihil et non saepe peccavisse nemo non videt. Id vero ex illorum verbis collegere licet, eos nonnunquam Agesilaum peccavisse arbitratos esse itaque etiam inviti Valckenarii opinionem probant.

Idem facit Heilandius, cuius verba sunt haec: „Quae leguntur, inquit, in cap. X. §. 4., videtur Xenophon nova cura pertractasse et quae visa est in illo loco inesse difficultas, ita optime tollitur, ut statuamus, Xenophontem novum totius encomii finem confecisse, conservatum nobis in cap. XI. §§. 14. 15. 16." Hoc Heilandii iudicium Breitenbachius repudiavit, quamquam minus recte caput undecimum ante componendum encomium conscriptum esse a Xenophonte Sauppio consentiens contendit. Sed quidquid de hoc capite iudicandum est, scriptor si locum emendare voluisset, sine ulla dubitatione verbum illud, quo offendimur, additamento aliquo mitigavisset aut alio commutavisset vocabulo. Eum vero tribus novi capitis paragraphis erratum corrigere maluisse credat Iudaeus Apella.

Prorsus aliam neque tamen probabiliorem sententiam in medium protulit Breitenbachius.[1]) „Non simpliciter, inquit, *ἀναμάρτητος* est sine vitio, ohne Fehl, qualem fieri mortalem hominem omnino nunquam posse Graeci aeque arbitrabantur ac nos Christiani; significat potius eum, qui nihil non recte, qui nihil iniuste fecerit. Hoc sensu accipienda sunt verba, quae leguntur in Hellenicis.[2]) Nostro igitur loco *ἀναμάρτητος* est: qui nihil iniuste fecit neque in eos, quibus imperabat neque in illos, quibuscum bellum habebat." His pro certo affirmatis Agesilaus ab omni iniustitia simpliciter absolvitur. Quod num recte fiat, valde

---

1) Cf. Excurs. ad X. 4. p. 100.
2) Cf. Hell. VI. 3. 10.

videtur dubium, immo vero negandum est omnino, illud ἀναμάρτητος proprie eum significare, qui nihil fecerit iniuste. Et hoc laudationis loco et alibi [1]) nullum alium significat nisi eum, qui omnino non peccavit neque ulli obnoxius est peccato, quare simpliciter est: sine vitio, ohne Fehl. [2]) Itaque verbis illis, quae in historia Graeca l. c. inveniuntur: ὁρῶ γὰρ τῶν ἀνθρώπων οὐδένα ἀναμάρτητον διατελοῦντα Callistratus Aphidnaeus se mortalium neminem dicit sine peccato vitae cursum conficientem videre. Ea igitur, quam indicavimus, illius vocabuli vis si unice vera est, nihil valent, quae Breitenbachius affert: „qualem fieri mortalem hominem omnino nunquam posse." Denique hominem doctum explicare oblitum esse doleo, quo iure verba: „qui nihil non recte" simpliciter confundantur illis: „qui nihil iniuste fecit". Haec opinor machina est, non sincerum vera reperiendi studium, hanc persuadendi rationem quam maxime improbo. Sed fac paulisper ita esse, ut Breitenbachius declarat. Nonne igitur iniuste fecit Agesilaus? Nonne Sphodriam harmostam, qui a Thebanis corruptus in Atticam tum Lacedaemoni foedere coniunctam irruperat, Archidamo filio deprecante suo arbitratu in libertatem vindicavit, quamquam ille ab ephoris in iudicium capitis vocatus erat? [3]) At diu restitit rex! Restitit sane, at in resistendo non, ut debuit, perseveravit. Ad postremum enim pueri carissimi precibus adductus est, ut non solum Atheniensium iura neglegeret, verum etiam civium leges violaret. En duplicem Agesilai iniustitiam.

Quid? quod iniustissimam Cadmeae arcis occupationem per alium factam comprobavit? [4]) At comprobaverunt una cum eo omnes Lacedaemonii, simulatque intellexerunt, utilissimum esse illud Phoebidae factum reipublicae. Haec

---

1) Cf. Ages. VI. 7. Cyrop. III. 1. 27.
2) Cf. Thesaur. graec. ling. ed. H. Stephan. p. 455.
3) Cf. Hell. V. 4. 25. sq.
4) Cf. Hell. V. 2. 25 sq.

excusatio nullius est momenti, quum id, quod revera est iniustum, quamvis utile videatur, semper et ab omnibus improbandum sit et reiiciendum. Audi, quid ipse Xenophon[1]) de hac re iudicat. *Λακεδαιμόνιοί τε γὰρ οἱ ὀμόσαντες αὐτονόμους ἐάσειν τὰς πόλεις τὴν ἐν Θήβαις ἀκρόπολιν κατασχόντες ὑπ᾽ αὐτῶν μόνον τῶν ἀδικηθέντων ἐκολάσθησαν, πρῶτον οὐδ᾽ ὑφ᾽ ἑνὸς τῶν πώποτε ἀνθρώπων κρατηθέντες.* Quid plura? Nam non semel Lacedaemoniorum regem iniuste fecisse apparet. Recte igitur Valckenarius, qui laudatoris illud *ἀναμάρτητος* repugnare dicit rerum scriptori Agesilai peccata commemoranti. Idem statuendum esse censeo de his locis: cap. I. 1: *τελέως ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο* et cap. III. 1: *πάντων τῶν καλῶν ἦρα καὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἐξεδίωκεν.* Certe in Hellenicis talia nusquam invenies.

Quod si ita est, nonne inde recte concluditur, non posse laudationem a Xenophonte scriptam esse? Probe equidem scio, Agesilai scriptorem non historici, sed laudatoris agere partes — id quod ipse indicavit cap. X. 3 — unde fieri solet, ut quaedam sententiae rhetorice exaggerentur. Nam oratores omnes, imprimis laudatores constat interdum nimios esse iustumque modum transire. Neque ego, quum oratorie aliqua res urgetur, tam iniquus esse velim, ut omnia ad vivum resecem, sed condonem Xenophonti, quod Agesilaum, quem vivum singulari quadam caritate amplexus erat, mortuum magnopere lugebat, peccatorum eius immemor, eximie sed non violata veritate laudaverit. Attamen alia in encomio inveni, quae Hellenicorum narrationi ita repugnant, ut nullo modo fieri possit, quin Valckenarii iudicio assentiar.

Ut initium sumam a §§. 5—8 capitis primi, quo modo eae laudes, quibus Agesilaus effertur, cum iis congruunt, quae in Hellenicis[2]) traduntur? Primum enim scriptor soli virtuti ac generis nobilitati tribuit, quod magnam partem Agesilaum

---

[1]) Cf. Hell. V. 4. 1.

[2]) Cf. Hell. III 3. 3 et 4. 2.

Lysandri auctoritati debuisse Xenophon narrat. Deinde multos Agesilaum admiratos esse refertur, quod traiectis in Asiam copiis in ipsa hostium terra pugnare maluerit, quam hostem in Graeciam transgressum exspectare. Xenophon autem eundem Lysandrum Agesilao persuasisse narrat, ut expeditionem susciperet copiasque traduceret in Asiam, ita ut hae quoque laudes huius potius consilio, quam illius prudentiae impertiendae sint.

Quam diversus scriptor §. 6. a rerum narratore abeat, iam Rankius bene animadvertit. „Ubi Asiatici, inquit, belli causae enarrantur, in historia Graeca[1]) legimus ob classem a Persis paratam suasu Lysandri Agesilaum in Asiam profectum esse Persisque bellum intulisse, in Agesilao, quod ipsis rebus postea gestis refutatur, classi etiam copiae pedestres adiiciuntur. Ibi quae expeditio Persis in animo fuerit, qui nuntium affert, nescire se fatetur; apud hunc ea certis verbis Graecis infertur, non Lacedaemoniis.“ Hanc Rankii argumentationem Beckhausius[2]) recensens laudatorem ita defendit, ut dicat, in Hellenicis sola referri, quae Herodas quidam nuntiaverit, at laudationem plures nuntios, ut Nepotis illud „fama exierat,“ respicere videri neque Diodorum neque Plutarchum laudatori repugnare. Tum haec addit: „Neque vero rebus postea gestis pedestres copias et magnas quidem a Persis esse comparatas refutatur.“ Sed contra hoc argumentum id respondeo, ex verbo ἐξηγγέλθη per se collegi non posse, plures fuisse nuntios. Porro Beckhausius neque Nepotis illud „fama exierat“ urgere debebat, quum nihil obstet, quin credamus, ex ipso Herodae nuntio famam exortam esse neque auctoritatem Diodori, qui de hoc nuntio silet. Sed quid de Plutarcho? Loquitur ille quidem de pluribus nuntiis, sed in iis, quae nunciantur, non cum laudatore, sed cum rerum scriptore concinit. Haec

---

1) Cf. Hell. III. 4. 1.

2) Cf. l. l. pag. 3. sq.

enim sunt eius verba: *Τοῦ δὲ Ἀγησιλάου τὴν βασιλείαν νεωστὶ παρειληφότος ἀπήγγειλάν τινες ἐξ Ἀσίας ἥκοντες, ὡς ὁ Περσῶν βασιλεὺς παρασκευάζοιτο μεγάλῳ στόλῳ Λακεδαιμονίους ἐμβαλεῖν τῆς θαλάσσης.*[1]) Quam ob rem non iam opus erit quaerere, num rebus postea gestis laudator refutetur, praesertim quum de hac re quicquam certi, quod equidem videam, proferri vix possit. — Denique §. 36. laudator Agesilaum magnopere laudat, quod tam aequo animo ephoris paruerit. In Hellenicis [2]) contra Xenophon admodum modeste loquitur neque Agesilaum libenter accepisse, sed aegre tulisse nuntium apertis verbis refert.

Transeo ad caput II. In §. 9. legimus, scriptorem ipsum vidisse *τὰς φάλαγγας ἀλλήλων μάλα ἰσομάχους*, quibuscum pugnare patet ea, quae tradita sunt in Hellenicis: *πελτασταί γε μὴν πολὺ πλέονες οἱ μετ᾽ Ἀγησιλάου.*[3]) Num credis, eum, qui ipse testis pugnae interfuerit, tam contraria de numero militum rettulisse? Peregrinis ab Herippida conductis adiuncti et eius imperio subiecti dicuntur (§. 11.) non modo quidam eorum, qui cum Cyro minore antea fuerant reverterantque, sed Iones quoque et Aeoles et Hellespontii, qui tres populi Xenophonte auctore[4]) quamquam simul cum Herippidae copiis proelium committebant, tamen in eius potestate non erant.

Deinde ad augendam Agesilai gloriam laudator rursus huic soli assignat (§. 17.), quod rerum narrator omnibus tribuit Lacedaemoniis, quos ipsos Argivorum felicitatem animadvertisse bellumque contra illos suscepisse narrat.[5]) Idem dicendum est de §. 18., quae quidem formata est ad Hellenic. IV. 5. 1, sed ita, ut de uno Agesilao memorentur,

---

1) Cf. Plut. Ages. VI.

2) Cf. IV. 2. 3.

3) Cf. IV. 3. 15. Vide praet. Rank. p. 20.

4) Cf. Hell. IV. 4. 19. Cf. praet. Hertzberg. Leben d. Kön. Ages. II. p. 278.

5) Cf Hell. IV. 4 19.

quae a Xenophonte ad ipsos Lacedaemonios referuntur. Neque ea, quae insunt in §. 20, cum Xenophonte videntur convenire, nam ex his Hellenicorum verbis: *ἡμεῖς μὲν γάρ, ἔφασαν (οἱ Ἀχαιοί), ὑμῖν, ὦ ἄνδρες, ὅπως ἂν ὑμεῖς παραγγέλλητε, συστρατευόμεθα καὶ ἑπόμεθα ὅποι ἂν ἡγῆσθε. — ταῦτα δ'ἔλεγον ὑπαπειλοῦντες τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς συμμαχίας, εἰ μὴ αὐτοῖς ἀντεπικουρήσουσι*[1]) Achaios, quos societatem cum Lacedaemoniis inire tum demum paratos fuisse laudator dicit, iam fuisse eorum socios cognoscitur.

Porro Agesilaus paci per Antalcidam postea conciliatae tam diu dicitur (§. 21.) repugnavisse, quoad Corinthiorum et Thebanorum exules in patriam reduxisset. Xenophon idem de Corinthiis scripsit, at Thebanos quoque propter studium Lacedaemoniorum fuisse expulsos in Hellenicis non exstat, quamquam talia referre rerum narratoris magis interesse oportebat, quam laudatoris, quem his in rebus accuratiorem facere nequeo.

In eadem paragrapho laudator, postquam Agesilaum Phliasiorum urbem adortum esse indicavit, haec habet: *εἰ δέ τις ἄλλῃ πῃ ταῦτα μέμφεται, ἀλλ' οὖν φιλεταιρίᾳ γε πραχθέντα φανερά ἐστι.* Nimirum Xenophontem in Hellenicis[2]) Lacedaemonios valde reprehendere sciebat, quod superbia elati potestatem satis amplam et honorificam male auxissent. Quam reprehensionem ut aliquanto minuat vel potius elevet, Agesilaum amicorum cura permotum ea fecisse declarat itaque eum ab ipso Xenophonte defendere studet.

Tum narratur, Agesilaum Cynoscephalas transgressum esse, id quod in copiosa historiae Graecae narratione frustra quaeritur, immo videtur negari. Nam Xenophon Agesilai iter ita describit: *ἐπεὶ δὲ ὑπερέβαλε τὸν Κιθαιρῶνα ἐλθὼν εἰς Θεσπιὰς ἐκεῖθεν ὁρμηθεὶς ᾔει ἐπὶ τὴν τῶν Θηβαίων χώραν.*[3]) Si verum est, quod Schneiderus ex his verbis concludit,

---

[1]) IV. 6. 2.

[2]) Cf. V. 4. 1.

[3]) Hell. V. 4. 38. v. praeterea §. 41.

Agesilaum a Thespiis in latere occidentali versus Thebas sitis progressum regionem Thebanam orientalem intra vallum vastavisse, laudatorem in errore versatum esse apparet, quum colles, qui vocantur Cynoscephalae, non inter Thebas et Thespias, sed inter Thebas et Hylicen paludem siti sint.[1]) Verum haec difficiliora sunt, quam ut equidem aliquid certius proferre possim, quam quod Siversius[2]) suspicatus est. Multo facilius est de paragrapho 23.[3]) iudicare, ubi Agesilaum cum sola Lacedaemoniorum manu contra hostes profectum esse legimus. Hoc repugnare rerum scriptori manifestum est, nam in Hellenicis inveniuntur haec: *Ἡραιεῖς δὲ καὶ Λεπρεᾶται συνεστρατεύοντο τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐπὶ τοὺς Μαντινέας.*[4])

Quod attinet ad §. 24, Aenianes, quos laudator Thebabanorum sociis annumerat, Xenophon in Hellenicis omittit eorumque loco Heracleotas et Melienses affert.[5])

Atque haec de priore encomii parte. Etiam in posteriore nonnulla nobis occurrunt, quae ab historia Graeca sunt aliena. Sic scriptor — nolo enim multis morari in exemplis, quae in capite III. leguntur, quamquam Spithridates Lysandri persuasu, Cotus exemplo et adhortatione Spithridatis, denique Pharnabazus Apollophanis cuiusdam consilio magis quam Agesilai virtute adducti esse videntur, ut Lacedaemoniorum partes sequerentur[6 *])— in capite VI. §. 3. et X. 4. Agesilaum tot victorias ab hostibus reportavisse dixit, quot expeditiones fecisset eumque unquam victum esse negavit. At Xenophon[7]) eum non solum saepius rebus infectis discessisse commemorat, sed etiam cladem accepisse multosque eius milites interfectos esse non reticuit.

---

1) Cf. Charta geogr. ab O. Müllero descript.

2) Cf. Gesch. der Griech. p. 205. n. 17

3) Cf. Hagen. p. 43. et p. 54.

4) Cf. Hell. VI. 5. 11.

5) VI. 5 23.

6) III. 4. 10. IV. 1. 1. IV. 1. 29. *) Cf. Hagen. p. 47.

7) IV. 6. 10.

Deinde Agesilaus pradicatur, quod omnia sustulerit neque unquam aetatem praetenderit, patriae ubi se prodesse posse crediderit. Hoc non ita se habere nobis persuadebimus, si Xenophontem audiemus, qui in Hellenicis[1]) haec narravit: *Καὶ Ἀγησίλαος μὲν λέγων ὅτι ὑπὲρ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης εἴη καὶ ὥσπερ τοῖς ἄλλοις τοῖς τηλικούτοις οὐκέτι ἀνάγκη εἴη τῆς ἑαυτῶν ἔξω στρατεύεσθαι, οὕτω δὴ καὶ βασιλεῦσι τὸν αὐτὸν νόμον ὄντα ἀπεδείκνυε κἀκεῖνος μὲν δὴ λέγων ταῦτα οὐκ ἐστρατεύετο.* Quamquam statim post vera huius rei causa affertur, tamen non hac, sed illa aetatis excusatione Agesilaus unice usus est.

In iis quoque, quae §§. 2—3. referuntur, a fide historica rhetor recessit. Primum Agesilaum, licet omnium fuerit potentissimus, leges tamen rei publicae prae ceteris observasse dicit. Quod quam verum sit, ex narratione Xenophontea de Sphodria in Hellenicis tradita supra iam cognovimus. Tum laudator pergit: *ὃς καὶ πρὸς τοὺς διαφόρους ἐν τῇ πόλει ὥσπερ πατὴρ πρὸς παῖδας προσεφέρετο — ἐχθρὸν οὐδένα ἡγούμενος πολίτην.* Nonne haec repugnant Xenophonti, qui Lysandrum ita facit loquentem[2]): *ὦ Ἀγησίλαε, μειοῦν μὲν ἄρα σύγε τοὺς φίλους ἠπίστω.* Quid putas Agesilaum respondisse? Negavit? Minime gentium. Immo vero affirmavit: *Ναὶ μὰ Δί', ἔφη, τούς γε βουλομένους ἐμοῦ μείζους φαίνεσθαι.* Quibus ille dictis Lysandrum, virum praestantissimum, cuius auctoritati ipsum debuit regnum, in Peloponnesum relegat. Num is ille est Agesilaus, cuius gratum animum laudator tantopere praedicavit, quem *ἀμεμπτον ὑπὸ τῶν φίλων διατελέσαι* dixit?[3]) De loco VII. 6. assentior Hagenio p. 49.

Quod Agesilaum ait (cap. XI. §. 1.) hostium etiam cultus divinos religiosissime observavisse, ne hoc quidem ita esse opinor. Nam Xenophon eum Aulide in templo Dianae sacrificium instituisse, sed non adhibuisse narrat sacerdotem, per

---

1) Cf. Hell. V. 4. 13.

2) Hell III. 4. 9.

3) Cf. Ages. IV. 2. VI. 8.

quem sacra administranda erant. Qua impietate Thebani ira incensi, quominus sacrificium ratione tam profana fieret, vi impediebant.[1]) Neque minus ea, quae in §. 2. exstant, Agesilaum rebus secundis non superbe, sed semper modeste ac clementer se gessisse, ab historia graeca discrepant. Ibi enim legimus Agesilaum ob victoriam ad Coroneam reportatam nimis elatum Thebanos pacem offerentes tam superbe tractavisse, ut eorum legatos ne adspiceret quidem.[2])

Sed haec hactenus, nam ex iis, quae dixi, laudatorem patet et in enarrandis rebus et in virtutibus praedicandis non mediocriter ab historia graeca deflexisse. Neque id eo modo explicari potest, ut dicamus, laudatorem non ita accurate res solere inquirere. Qua qui utuntur excusatione, iis antea probandum fuit, Xenophonti, quem constat veritatis ubique studiosum fuisse,[3]) talis oratoris partes gerere omnino licuisse. Eo autem minus illo a fide recedere debebat, quum superstites essent, qui Agesilaum ipsum cognoverant neque, qualis fuisset quaeque fecisset ignorabant. Quid? quod etiam in iis, quae non sunt laudatoris, sed ipsius historici, non pauca invenimus, quae cum Hellenicorum verbis in consensum ac conspirationem nullo modo possunt adduci. Tam contraria ab uno eodemque scriptore profecta esse quis est qui credat?

---

1) Hell. III. 4. 4.
2) Hell. IV. 5. 6.
3) Lucian. de conscrib. hist. §. 39. Diod. Sic. I. p. 34.

Particula IV.

De compositione et dicendi genere.

Iam disputatio nostra eo deducta est, ut quum verisimillimum videatur, Xenophonti laudationem esse abrogandam, quaeramus, quid de compositione libelli et de dicendi genere iudicandum sit. Inde igitur exordiamur quaestionem facere, num omnia bene disposita singulaeque libri partes recte ordinatae et illustratae sint. Quum enim vix fieri possit, ut is, qui ad librum componendum ex diversis alius scriptoris operibus singulas res collegerit, rectam rationem iustumque modum servet neque unquam lucidum negligat ordinem, laudatori quoque id accidisse suspicamur. Neque in hac re fallimur, id quod singulis locis demonstrare iam conabor.

Ac primum quidem iusto diutius laudator moratur in enarrandis rebus gestis, quae ob eam tantum causam praemittuntur, quo melius, quibus virtutibus rex ceteris praestiterit, intellegatur [1]). Quamquam igitur scriptori multo magis cordi fuit, mores Agesilai describere, tamen res gestas latius et fusius exposuit, quam ipsas eiusdem virtutes. Praeterea sententiarum nexus quibusdam locis perturbatus est. Iam Schneiderus verba: *ἑλόμενος ἀντὶ τοῦ μέγιστος εἶναι ἐν τῇ Ἀσίᾳ κ. τ. λ.* (II. 16.) alieno loco apposita et supra I. 36. reponenda esse censuit neque equidem video, quid huic opinioni iure opponi possit. Neque ea, quae leguntur II. 27: *ἄξια θαύματος διεπράξατο. οἵ τε γὰρ εὖ κ. τ. λ.* cum antecedentibus apte cohaerent, sed referri debebant ad ini-

1) Cf. Ages. I. 6. III. 1.

tium II. 26. Verum haec vitia fortasse librariorum potius, quam ipsius laudatoris socordiae tribuenda sunt, ita ut his ad ingenium scriptoris indagandum uti vix nobis liceat. Quoniam de repetitionibus sententiarum et de locis inter se repugnantibus [1]) supra satis dictum est, age nunc alia consideremus.

Suo iure Rankius in capite tertio desiderat iudicium scriptoris, qui ipse de pietate Agesilai se dicturum esse indicat §. 2. Etiam ex verbis, quibus huic capiti finem imposuit, hanc primariam virtutem eum voluisse celebrare intellegitur. Attamen nihil fere de pietate protulit, sed tribus exemplis Agesilai fidem pactorumque constantiam breviter illustravit, ut appareat, quantum ille pietate valuerit. Quod merito hic exspectas, quid de Diis Agesilaus senserit, quomodo eos precibus et sacrificiis veneratus sit, id demum in capite XI. [2]) exponitur.

Porro clausulam capitis VI. reliquis non bene convenire iam Heilandius animadvertit. Cui ego plane assentior, nam verba illa sic universe pronunciata non hic, ubi de sola bellica Agesilai virtute agitur, sed potius in fine totius encomii collocanda erant. Tum in capite octavo inveniuntur plura, quae non pertinent ad eam materiam, quam se tractaturum esse initio capitis scriptor indicavit. Ea enim, quae laudator §§. 4—6. formulis deinceps se excipientibus: *ἐγὼ οὖν καὶ τοῦτο ἐπαινῶ* — *ἄγαμαι δέ κἀκεῖνο* — *ἐπαινῶ δὲ κἀκεῖνο* — iis adiecit, quae de comitate (*τὸ εὔχαρι*) et de contumacia regis rettulit, multo aptius capiti septimo intexuisset, ubi copiosius exponit, quomodo erga Graecos, quomodo adversus Persarum regem Agesilaus se gesserit. Quae sequuntur inde a §. 6. usque ad finem capitis, ea capiti nono erant inserenda, quo de iis omnibus agitur rebus, quibus Agesilai vivendi ratio a ratione regis Persici differat.

[1]) Ages. cap. V. 7. et VI. 6. Vide praeterea I. 24. II. 25. et 28. cf. Hagen. p 18. 46.

[2]) Cf. Ages. XI. §§. 1. 2. 8.

Denique verba, quibus hoc caput clauditur, iam aliis visa sunt incommoda nec iniuria. Non enim, cur voluptatum et metus hoc loco mentio fiat, satis perspicitur.

Idem, quod de capite octavo, valere videtur de capite nono. Nam §. 1. laudator significat velle se ostendere, quomodo Agesilaus mores suos Persae fastui opposuerit et id ipsum, quod sibi proposuit, usque ad §. 6. recte exsequitur, sed ab hac §. a proposito recedit, nimirum ut locum illum Hieronis possit adiungere.

Restat, ut de capite undecimo brevissime disseram. Alii aliam in medium protulerunt sententiam, quin etiam ii, qui genuinum illud esse contendunt, quid sibi velit, inter se disputant. Capite enim decimo encomium apte atque egregie terminatur, ut lacuna aut damnum non fiat, si undecimum caput omittitur. Accedit quod sententiae hic enunciatae male inter se cohaerent perperamque sunt ordinatae. Sic initium sumitur a pietatis sensu, ad fortitudinem et sapientiam pertinet §. 9, ad iustitiam §. 3. et 8, ad continentiam et temperantiam §. 6. et 10. Paragraphi 4. 5. 7. 11. referendae sunt ad secundarias illas virtutes, quas scriptor cap. VIII. IX. X. commemoravit. Quae insunt in §§. 12—13, cum laudationis verbis VI. 8., reliqua cum X. 4. adeo concinunt, ut cur haec sint repetita, adhuc nemo satis explicaverit. De iis, quae nova addita sunt, in particula altera dixi. Quae quum ita sint, animus inclinat, ut credam, compilatorem capite decimo unaque cum eo toto encomio absoluto, pauca etiam in residuo habuisse. Ex his igitur frustis antea collectis caput undecimum confecit et cum antecedentibus his coniunxit verbis: *βούλομαι δὲ καὶ ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ κ. τ. λ.* quae Xenophontis esse ipse Heilandius utique negavit.[1])

Iam superest, ut de sermone ac dicendi genere paucis dicamus. Suum cuiusque ingenium est, quod stilum fingit

[1]) Cf. Proleg. p. XX.

atque conformat. Id si de ullo alio scriptore licet affirmari, certe de Xenophonte, cuius oratio fidelissimam eius ingenii imaginem propemodum ante oculos collocat. Qui quum fuerit homo simplex, animo alto placidoque praeditus, plenus humanitatis, pulchri venustique amans, vir denique probus ac honestus, mirum non est, quod de eius dicendi genere C. Guiel. Krügerus, vir et iudicii sinceritate ornatus et interioris dicendi cogitandique, qua usus est Xenophon, rationis peritissimus, praedicat haec: Bei der feinsten Berechnung ist sein Vortrag schlicht und einfach, aber doch gewählt und geschmackvoll; bündig und gemessen, aber doch durch einen Wechsel von Wendungen und klar entfaltende Fügung belebt. Ueber seiner ganzen Darstellung weht der milde Hauch eines harmonisch gestimmten Geistes und sinniger Gemüthlichkeit, gefühlvoller Theilnahme und durchgebildeter Sittlichkeit[1]). Has singulares orationis eius virtutes etiam veteres admirabantur, maxime suavitatem, unde nomen ei dederunt Atticae Musae vel apis. Cicero quidem eum a forensi strepitu remotum, sed dulcem, immo melle dulciorem vocat et eius ore Musas locutas esse scribit[2]). Similiter iudicat Quintilianus, qui nativam eius simplicitatem et inaffectatam iucunditatem, quam nulla possit consequi affectatio, magnopere laudat[3]). Profecto Xenophon, vir militaris et in verborum electione non nimis religiosus[4]), omni spreto ornatu et praetermissa vi, simplicem semper veritatem spectat. Lucutentissimo eius rei documento totus est, quem in Socratis memoriam conscripsit, liber Memorabilium. Nam etsi summa pietate magistrum colebat, tamen leniore quodam sono utitur, ubi vehementius eum motum credas[5]).

---

1) Cf. Einleit. in die griech. Sprachlehre p. 7.

2) Cf. orat. II 14. — 3) Cf. 10. 1. 81.

4) Cf. Lobeck. ad Phryn. p. 315.

5) Hoc Heilandius secum debebat reputare, qui eam animi affectionem, qua scriptor paulo post amici mortem fuerat, magnam habuisse putat vim ad mutandam dicendi rationem.

Oratio eius ubique est perspicua et perlucida, aequabilis fere et sui similis neque artificiose aut ingeniose variata et novata [1]). Recte igitur Bernhardyus quoque: Von rhetorischer Verarbeitung seines Stoffes zu antithetischer kunstgerechter Anordnung von Gedanken und Sätzen und noch mehr vom Pomp ungemässigter Bildersprache und gesuchter Phrasen war Xenophon weit entfernt. [2]) Quibuscum consentit etiam Creuzerus: Durch Vermeidung einer zu grossen Aufmerksamkeit auf Wahl und Stellung der Worte und Ebenmass der Glieder entfernt sich Xenophon von der Manier sophistischer Redekünstler. [3])

Quae si recte disputavimus, nobis fatendum erit, dicendi genus, quod inest in Agesilao, non Xenophontis proprium, sed ab eo maxime esse alienum. Tantopere enim a ceteris Xenophontis scriptis discrepat, ut tam diversa oratio non videatur ab eodem scriptore usurpari potuisse. Veterum quidem criticorum nemo dubitavit, quin in laudatione quoque Xenophontem loquentem audiret. Ii etiam, qui libellum ediderunt, dicendi genus vere esse Xenophonteum neque quidquam inveniri, quod ab eius usu abhorreat, probare conati sunt. Contra hos omnes stat Valckenarii sententia, qui ita iudicavit: Proximum accedit ad illud hoc in Xenophontis qui dicitur Agesilao p. 66: *ἐχθρὸν μὲν οὐδένα ἡγούμενος πολίτην, ἐπαινεῖν δὲ πάντας ἐθέλων, σώζεσθαι δὲ πάντας κέρδος νομίζων, ζημίαν δὲ τιθείς, εἰ καὶ ὁ μικροῦ ἄξιος ἀπόλοιτο.*“ [4]) Sapiunt et ista sophistam, qui meminerat *ἡγεῖσθαι* et *τίθεσθαι* vel *τιθέναι* in multis loquendi formis promiscue poni. [5]) Idem alibi scripsit haec: Quod illic monitum in istis loquendi formulis promiscue propemodum usurpari voces *ἀγών, καιρός* et *ἔργον*, monstrat Agesilai laudator p. 78., cui dicitur ille

[1]) Cf. Haase: proleg. ad remp. Laced. p. 17.

[2]) Cf. Bernh.: wissensch. Synt. der griech. Sprachl. p. 24.

[3]) Cf. Creuz.: histor. Kunst der Griech. p. 292.

[4]) Cf. Ag. VII. 3.

[5]) Diatr. Eurip. p. 9.

καρτερίᾳ μὲν πρωτεύων, ἔνθα πονεῖν καιρός, ἀλκῇ δέ, ὅπου ἀνδρείας ἀγών, γνώμῃ δέ, ὅπου βουλῆς ἔργον,[1]) quae sophistam multo magis decent, quam Xenophontem, in cuius scriptis nihil invenietur simile.[2]) Hic mirus dictionis color etiam aliis locis conspicuus est, velut VI. 5. VI. 8. VII. 7. VIII. 1. 7. IX. 7. De loco cap. X. 2. M. Hauptius, cuius ego, quanti faciam iudicium, vix queo dicere, scripsit haec: Mit richtigem Gefühle fand Valckenaer (zum Hippolyt v. 468.) *πρὸς τὸ ἀγαθὰ ἐργάζεσθαι* ungenügend, aber seine Vermuthung *πρὸς τὸ ὀρθὰ ἐργάζεσθαι* trifft wohl nicht das Wahre. Dieses scheint *πρὸς τὸ ἀγαθὰ ἔργα ἐργάζεσθαι.* Die *ἀγαθὰ ἔργα* und die *ἀνδραγαθία* stehen so in einem sophistisch gesuchten Gegensatze, ganz nach der Art dieses Buches.[3])

Sane haec ornamenta rhetorica, haec quaesita verborum commutatio, haec affectata membrorum symmetria valde discrepant a nativa sermonis simplicitate et a grata neglegentia, quibus in vere Xenophonteis operibus admodum delectamur. Inter Xenophontis defensores fuerunt, qui ut similia artificia in eius scriptis non prorsus deesse ostenderent, Prodici narrationem infelicissime compararent, infelicissime dico, nam ibi ex industria Xenophon sophistam imitatus est. Bene de hoc loco locutus est Fr. A. Wolfius: In Xenophon's Memorabilien 2. 1. 21. kommt ein Stück von Prodicus vor: der Scheideweg des Hercules, wo Xenophon es zwar in seine Manier verschmolzen hat, aber doch so, dass man den Sophisten, seine Schönheit und seinen Glanz durchsieht."[4]) Alii orationis conformandae rationem aliquo saltem modo differre concedunt, sed hanc dissimilitudinem ex tota libelli natura satis explicari censent. Non enim, inquiunt, strenuam rerum historiam scriptor composuit, sed laudationem, quae ad genus oratorium pertinet. Quare ser-

1) Cf. Ag. X. 1.
2) Adnot. ad Herod. IX. 27.
3) Cf. Schneidew. Philol. 1848. p. 546.
4) Cf. Gesch. der griech. Literat. ed. I. D. Gürtler. p. 295.

monem et stilum oratoris more distinguere et exornare debuit. Idem Xenophon fecit in orationibus Cyri institutioni intextis, idem in Clearchi oratione, quae poëticum quodammodo impetum spirat.[1])

His respondeo, certe Xenophontem potuisse interdum animum ita intendere, ut ad sublimiorem assurgeret orationem, sed hoc perraro accidisse et in universum orationem eius valde quietam procedere. Quodsi semel altius surgit, statim ad ieiunam dictionem recedit. Hoc non fieri in laudatione, sed eam nimis completam esse rhetoricis artificiis atque calamistris, nimia membrorum concinnitate, nimio sententiarum acumine quivis vel mediocriter graece doctus sentiet.

Praeter hanc quaesitam periodorum conformationem non pauca inveni, quae cum usitato Xenophontis dicendi genere non conveniant. Nolo equidem urgere, quod laudatio referta est vocabulis, quibus Xenophon usus non est. Nam horum pleraque legitima ratione vel composita sunt vel derivata, multa sunt poëtica, quibus Xenophontem delectatum esse notum est, alia res significant ab eo non nominatas, sed suam quaeque materia copiam verborum requirit. Neque illud tantum valere puto, quantum quibusdam visum est, quod tam multae enunciationes ab iisdem particulis ordiuntur. Quadraginta enim quattuor enunciationes incipiunt a vocabulo *καὶ*, triginta sex a particulis *γὲ μὴν*, ab *ἐπεί* undeviginti, *μέντοι* usurpata est quinquies decies.

Haec quamquam in libello tam exigui ambitus fortasse iusto frequentius reperiuntur, reputandum tamen est, quantopere ipsa laudationis natura ad eiusmodi transitiones invitaverit. Praeterea Xenophon hasce particulas adeo amavit, ut interdum apud eum prorsus cumulentur.[2])

1) Cf. Anab. II 5.

2) Cf. B. Büchsenschütz. in Schneidew. Philol. 23. p. 652. Heiland. quaest de dial. Xenoph. p. 8.

Maioris vero momenti est scriptoris consuetudo eiusdem rei tam saepe notionibus sibi contrariis significandae, ut taedio afficiamur. Quod quo melius cognoscatur, singulos locos placet enumerare: I. 2. 3. (bis.) 8. 21. 29. II. 6. 12. 26. III. 1. IV. 4. V. 1. (bis.) 2. 3. 4. VI. 2. (bis.) 3. VII. 1. 5. 6. 7. VIII. 1. 4. 5. IX. 5. 6. X. 2. 3. XI. 2. 3. (bis.) 6. 9. 11. (bis.) Huc adnumerare liceat locos, ubi laudator usus est *οὐ μόνον, ἀλλά* et *οὐδὲν ἧττον ἤ*: I. 20. 21. 35. 38. IV. 2. VI. 3. VIII. 2. IX. 4. XI. 1. 2. 4. 8.

Hanc verborum copiam scriptor aliis quoque artibus effecit. Lege quaeso §. 17. capitis I.: *ἐπεὶ πόλεμος προεῤῥήθη καὶ τὸ ἐξαπατᾶν ὅσιόν τε καὶ δίκαιον ἐξ ἐκείνου ἐγένετο, παῖδα ἀπέδειξε κ. τ. λ.* Verba *ἐξ ἐκείνου* perspicuitatis causa scriptorem intulisse Breitenbachius dicit, quod probarem, si *ἐξ ἐκείνου* ab *ἐπεί* longius distaret, sed novem modo verba interposita sunt. Itaque sicut libenter condonamus, quod cap. I. 37. verba *τὰς πόλεις* repetita sunt, ita supervacaneam vocabulorum abundantiam nostro loco reprehendere fas est. Neque minus displicet pleonasmus, qui inest in §. 18: *προεῖπεν-εἰπών.*

Porro in §. 21. habes *παιδάρια μικρά.* Deminutivis interdum addi *μικρόν* adiectivum Sauppius probat, sed quae affert exempla, ea ad defendendum hunc locum non sunt idonea. Primus citatur locus Cyrop. VII. 1. 24: *μικρὸν πλινθίον,* verum *μικρόν* hic oppositum est adiectivo *μεγάλῳ* insequenti. Alterum exemplum petitum est ex Cyrop. VIII. 3. 38: *μικρὸν γήδιον*, ubi cur Xenophon vocabulum illud addiderit, aeque plane intellegitur. Pheraulas enim, qui erat homo divitissimus, ibi exponit, quam pauper antea fuerit. Idem dicendum est de verbis Cyneg. V. 13: *τῶν δὲ μικρῶν λαγίων ὄζει μᾶλλον ἢ τῶν μεγάλων.* Sed nostro loco res aliter se habet. Nam non solum additamentum *μικρόν* omni iusta ratione caret, sed etiam, quum laudem Agesilai minuat, ab ipso scriptoris consilio alienum videtur.

Prorsus languida et vitiosa talis est verborum repetitio, qualis est in cap. II. 7: *καὶ οὐ τοῦτο λέξων ἔρχομαι, ὡς πολὺ μὲν ἐλάττους, πολὺ δὲ χείρονας ἔχων ὅμως συνέβαλεν. εἰ γὰρ ταῦτα λέγοιμι, Ἀγησίλαόν τ' ἄν μοι δοκῶ ἄφρονα ἀποφαίνειν καὶ ἐμαυτὸν μωρόν, εἰ ἐπαινοίην τὸν περὶ τῶν μεγίστων εἰκῇ κινδυνεύοντα.*

Tum a Xenophonte abhorrent verba cap. II. 12: *καὶ κραυγὴ μὲν οὐδεμία παρῆν, οὐ μὴν οὐδὲ σιγή, φωνὴ δέ τις ἦν τοιαύτη, οἵαν ὀργή τε καὶ μάχη παράσχοιτ' ἄν.* Legimus in cap. VI. 6: *καὶ γὰρ νυκτὶ μὲν ὅσαπερ ἡμέρᾳ ἐχρῆτο, ἡμέρᾳ δὲ ὅσαπερ νυκτί,* cuius enunciationis prior pars e Xenophonte hausta est, [1]) posteriorem eadem repetentem rhetor male adiecit. Sequuntur haec: *ἦγε τὸ στράτευμα ἡσύχως, ὥσπερ ἂν παρθένος ἡ σωφρονεστάτη προβαίνοι. νομίζων ἐν τῷ τοιούτῳ τό τε ἀτρεμὲς καὶ ἀνεκπληκτότατον καὶ ἀθορυβητότατον καὶ ἀναμαρτητότατον καὶ δυςεπιβουλευτότατον εἶναι* (§. 7.) Profecto has ampullas et sesquipedalia verba nemo toleranda esse censebit, nisi qui pessime de Xenophonte iudicet. Denique non alienum videtur notare, quam saepe scriptor ad comparativos et ad superlativos addiderit vocabulum *πολύ*: I. 35. II. 7. IV. 1. 2. VI. 7. VIII. 6. 8. X. 3.

Iam quo clarius rhetoris rationem agnoscamus, eos contemplemur locos, ubi nomina et verba, quibus contraria significantur, inter se opposita sunt. Invenio haec: I. 8: *διαβαίνειν — ἀντιδιαβαίνειν.* 10: *ὀμνύναι — ἀντομνύναι.* II. 6: *ἄρχειν — ἄρχεσθαι.* 31: *φιλέλλην — μισέλλην.* III. 5: *καθίστασθαι — ἀφίστασθαι.* IV. 5: *μειονεκτεῖν — πλέον ἔχειν.* VI. 6: *ἔχυρα — ἀνώχυρα.* VII. 2: *ἀπειθεῖν — πείθεσθαι.* IX. 1; *δυςπρόςοδος — εὐπρόςοδος.* X. 2: *δίκαιος — ἄδικος; ἐγκρατής — ἀκρατής.* XI. 3: *δικαιοσύνη — ἀδικία.* 4: *ἀπιστεῖν — πιστεύειν.* 8: *γιγνώσκειν — ἀγνοεῖν.* 14: *γηράσκειν — ἀγήρατος.* Adde I. 36: *ἀκίνδυνα — μετὰ κινδύνων.* III. 3. *γῆμαι — ἄνευ γάμου.*

Simile quid ita efficitur, ut in eadem enunciatione idem verbum repetatur aut vocabula eiusdem generis vel saltem

---

1) Cf. p. 34.

eiusdem exordii componantur. Conferas velim haec: I. 2: *ἐκ βασιλέων βασιλεῦσιν*. 3: *ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσι*. 4: *οὐδεπώποτε φθονεῖν — οὐδεπώποτε ὀρέγεσθαι*. 18: *καταβήσοιτο κατάγων*. 24: *προθύμως πράττειν — προθύμως μαστεύειν*. 25: *ἱππόδρομον ἱππέων ἱππαζομένων*. II. 8: *πάντας — πᾶσι*. 9: *ἰσομάχους — ἰσοπληθεῖς*. 13: *πάντοσε παντοίοις*. 20: *συμμαχίαν — συστρατεύειν*. 22: *ἀποτεταφρευμένα — ἀπεσταυρωμένα*. 31: *οὐδέτερος λύσει — οὐδέτερος παρέξει*. III. 2: *ἐκείνου ὅρκους — ἐκείνου σπονδάς*. 5: *στρατιᾶς στρατηγός*. IV. 1: *οὐδεὶς οὐδέν — πολλοὶ πολλά*. 3: *μείζους — μείζω*. V. 1: *ὁμοίως καὶ μανίας — ὁμοίως καὶ ἀργίας*. 5: *μάχεσθαι μάχην*. VII. 1: *ἀγαθοῦ — ἀγαθά*. 3: *συμφορὰ συμβαίνοι*. 4: *Ἕλληνα φιλέλληνα*. 7: *ἀποστάν — ἀπόληται*. VII. 1: *φιλόστοργον φίλων*. 2: *εὔελπις — εὔθυμος*. 4: *ὁπότερος πλείω — πλειόνων — ὁπότερος ἀμείνων — ἀμεινόνων*. 8: *καλόν — κάλλιον*. IX. 3: *εὐπάθειαν — εὐπορωτέραν*.

Ne illud quidem omittendum est, cursum enunciati a nomine aliquo incipientis nimium saepe de via ita deflectere, ut verbo, quod exspectas, pronomen *οὗτος* ad illud relatum praemittatur, unde fit, ut notioni animo tamquam bis oblatae egregia quaedam vis concilietur. Quod quamquam non omnino a Xenophontis dicendi genere recedit, raro tamen apud eum invenies. [1])

Huc etiam traiectiones verborum pertinent, quae reperiuntur I. 34. II. 1. (bis.) 24. 31. IV. 3. VII. 7. IX. 3 et ii loci, ubi verba decussatim posita sunt: II. 1. 12. 17. III. 3. VII. 7. IX. 7. XI. 10.

Tum interrogationibus et rhetoricis figuris, a quibus quam modicum ornatum Xenophon petiverit, nemo ignorat, laudatio nimis impleta est. Habes interrogationes his locis: I. 2. 5. 9. 27. 37. II. 25. IV. 1. 2. 3. 5. V. 1. 4. VI. 4. VII. 2. 7. VIII. 5. IX. 7. X. 2. 3. Anaphorae sunt: I. 21. 33. 36. II. 2. 7. (bis.) 16. (Hic anaphora coniuncta est cum epiphora.) 18. 24. 28. III. 1. VI. 5. VII. 1. 2. VIII. 6. IX.

---

1) Cf. Krüger. de authentia et intgr. Anab p. 57.

3. 5. Litotes figura occurit I. 1. 38. V. 2. 6. VI. 1. VIII. 1, 3. 7. XI. 14. Asyndeton est. II. 12. Polysyndeton I. 26. III. 3. Apostrophe VII. 5. Anacoluthon VII. 7. X. 1. Nimis violento Oxymoro scriptor usus est V. 4: *σωφρόνημα καὶ λίαν μανικόν*, quocum Heilandius illud poetae Venusini apte comparavit: Insanientis sapientiae consultus erro.[1]) Synesis figura, ad quam quo recentiores sunt scriptores, eo cupidius inclinant, invenitur VII. 7.[2]) Praeterea tropus, qui dicitur synecdoche, est IX. 3, ubi pro *πολλοί* audacter dictum est *μυρίοι*.

His adiiciamus voces et locutiones, quae partim inusitatae, partim vitiosae esse videntur. Sic legimus I. 2: *περὶ μὲν οὖν εὐγενείας αὐτοῦ τί ἄν τις μεῖζον καὶ κάλλιον εἰπεῖν ἔχοι, ἢ ἔτι καὶ νῦν τοῖς προγόνοις ὀνομαζομένοις ἀπομνημονεύεται, ὁποστὸς ἀφ' Ἡρακλέους ἐγένετο.* Difficultas est in dativis *τοῖς προγόνοις ὀνομαζομένοις*, quos editores varie interpretati sunt. Heilandius dativos esse censet instar ablativorum, quod Sauppius, ut Heilandii verbis utar, clarius dedit apposita Germanica versione: durch namentliche Aufführung der Vorfahren. Hanc explicationem improbavit Breitenbachius et ipse Heilandius rem non actam esse sensisse videtur, nam postea dubiam coniecturam ab alio acceptam attulit.[3]) Breitenbachius contra hanc sententiam recte desiderat: Etiam nunc, quum maiores enumerantur, una commemoratur Agesilaus, quotus ab Hercule fuerit. Atque hoc ipsum verba significare existimat. Similiter iudicat Matthiäus §. 562. 2: Anstatt der Genitivi der Participia stehen zuweilen Dativi, insofern das Subiect des Particips als dasjenige betrachtet werden kann, in Rücksicht auf welches die Handlung des Verbi statt findet. Hac regula nonnullis exemplis illustrata nostrum quoque locum conferendum esse adnotat.

---

[1]) Cf. Horat. Carm. I. 34.

[2]) Hanc figuram sophistis maxime placuisse Bernhardyus ostendit in libro, qui inscribitur: Paralip. synt. Graec. p. 25.

[3]) Cf. Quaest. de dial. Xenoph p. 6.

At hic dativus mea quidem sententia ab illis, quos grammaticus ille attulit, aliquantum diversus est, nam ea, quae, quod attinet ad scriptores meliores, postulatur, interiore necessitudine cum verbo finito non est coniunctus, sed sola temporis ratio intercedit. Quam ob causam equidem dubito, num Xenophon, si libellum composuisset, pro genitivo absoluto hunc admissurus fuerit dativum, quo Graeci, qui tempore imperatorum Romanorum scripserunt, Latinorum ablativis absolutis assueti, saepius usi sunt.

Deinde legimus I. 22: *καὶ τῶν κατὰ κράτος ἀναλώτων τειχέων τῇ φιλανθρωπίᾳ ὑπὸ χεῖρα ἐποιεῖτο.* Verba *ὑπὸ χεῖρα ποιεῖσθαι* cum genitivo constructa iam Lennepius [1]) reprehendit. Sauppius quidem nihil insoliti in his verbis inesse putat eumque secutus est Breitenbachius adnotans, genitivum significare urbium partem. Quod num probari possit, quaeritur. Nego equidem, nam ex verbis I. 16: *καὶ τὰς πόλεις κατεστρέφετο* et ex §. 23: *ἐκ πασῶν τῶν ἐκεῖ πολέων* et ex §. 37: *παραλαβὼν πάσας πόλεις, ἐφ' ἃς ἄρξων ἐξέπλευσε* Agesilaum non partem Phrygiae, sed omnes illius regionis urbes in potestate habuisse cognoscitur. Mecum etiam faciunt Heilandius et Hanovius, qui genitivum ita defendunt, ut *ὑπὸ χεῖρα ποιεῖσθαι* idem valere statuant, quod *κρατεῖν.* Sed hoc dicendi genus nisi apud poetas et scriptores posterioris temporis non reperitur. — Porro laudator scripsit I. 36: *ἐλπίζων καταλύσειν τὴν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατεύουσαν πρότερον ἀρχήν.* Sane Graeci, qua erant ingenii mobilitate, res praeteritas in ipsam praesentiam adducere amant, quo propius possint earum quasi ad vivum expressam imaginem intueri. Sed a Xenophontis simplicitate nostrum locum alienum esse credo. Idem libelli editores paene omnes iudicavisse videntur, nam lectionem codicibus confirmatam repudiantes pro participio praesentis scripserunt aoristum *στρατεύσασαν.* Breitenbachius vero hoc dicendi genus poetarum maxime proprium

---

1) Epist ad Phalarid. pag. 350. (ed. Schaefer.)

Xenophonti vindicare ausus est. Comparat homo doctus verba Cyropaediae I. 5. 7: *ἐκ παίδων ὁρῶν*, unde quid luminis nostro loco veniat, vix dixeris. Multum enim interest inter utrumque locum. In laudatione notio verbi *στρατεύειν* nequaquam ad praesens tempus pertinet, quum non, ut antea, ita tum quoque Persarum rex in Graeciam, sed Agesilaus rebus plane mutatis in Asiam contra Persas expeditionem faciat. At in Cyropaedia praesentis temporis participium ob eam causam potest ferri, quod Cyrus a pueris semper usque ad praesens tempus milites bene se gerentes vidit.

Neque minus offensionis habent verba II. 14: *ἐπεί γε μὴν ἔληξεν ἡ μάχη, παρῆν δὴ θεάσασθαι, ἔνθα συνέπεσον ἀλλήλοις, τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην, νεκροὺς δὲ κειμένους φιλίους καὶ πολεμίους μετ' ἀλλήλων, ἀσπίδας δὲ διατεθρυμμένας, δόρατα συντεθραυσμένα, ἐγχειρίδια γυμνὰ κουλεῶν, τὰ μὲν χαμαί, τὰ δ' ἐν σώμασι, τὰ δ' ἔτι μετὰ χεῖρας.* Offendunt enim verba poëtica *γῆν αἵματι πεφυρμένην*, offendit forma *κουλεῶν* Homeri propria, offendit praepositio *μετά* cum accusativo constructa.[1]) An putas, talia omnia ipsam laudationis naturam flagitavisse?

Sed videamus alia. In §. 31. eiusdem capitis haec habes: *Ἀγησίλαος γνοὺς ὅτι εἰ μὲν μηδετέρῳ συλλήψοιτο, μισθὸν οὐδέτερος λύσει τοῖς κ. τ. λ.* Hic pro me rem agit Weiskius, qui bene annotat: *λύειν* pro *ἀποδιδόναι* si dicitur, certe apud Xenophontem nolim admittere. Mirum enim sit, quum saepissime in Expeditione Cyri de solvendo stipendio dicatur, ne semel quidem verbum *λύειν* esse positum.[2])

Pariter in cap. III. 4. liberius dictum est *δεξιὰν πέμπειν* pro *διδόναι* et in cap. VI. 3 *τρόπαια στρατεύεσθαι*, quasi vocabulum *σρατεῖαι* antecessisset.

Tum legimus in cap. VII. 5: *ἐν τῇ Κορίνθῳ μάχῃ.* De dativo loci grammatici docent, praepositionem *ἐν* necessariam

---

[1]) Cf. C. G. Krüger. ad Thucyd. I. 138.

[2]) Cf. Weisk. p. 446.

esse neque simplicem casum aliis nisi forte poëtis concedunt. Tria tantum locorum nomina excipiuntur, quae vim adverbii recipere solent: *Μαραθῶνι*, *Σαλαμῖνι*, *Ἐλευσῖνι*.[1]) Id saltem constare videtur, apud Xenophontem *ἐν* non omitti, ubi proelii locus indicatur. In §. 2. capitis noni vulgo leguntur verba: *ὁ δὲ τότε μάλιστα ἔχαιρεν, ὁπόταν ἀποπέμποι*, de qua constructione Matthiäus dicit.[2]) „Das lässt sich wohl nur durch eine sehr gezwungene Erklärung rechtfertigen." Sed quum codices A. B. G. vocabulum *ὅποτε* sine *ἄν* praebeant, librarii fortasse vitium est.

Etiam in capite XI. nonnulla inveniuntur, quae Xenophontis esse nego. De verbis, a quibus initium sumitur: *βούλομαι δὲ καὶ ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν* non est, cur pluribus dicam, quum ipsi editores haec ab eo profecta esse non posse affirment. Idem iudicandum est de verbo *χρῆσθαι* cum accusativo coniuncto in §. 11: *καὶ τὸ μεγαλόφρον ἐχρῆτο.* Hoc Schäferus[3]) scriptoribus posterioris temporis iure adscripsit, sed ob eam causam constructionem mutare neque Stephano neque Weiskio licuit neque cuiquam unquam licebit.

His addo, scriptorem *τὸν θάνατον* vocavisse *τὸ στόμα τοῦ βίου* (§. 15.) et *τὸν τάφον—τὴν ἀΐδιον οἴκησιν* (§. 16.) quae auctorem poëtas nimis cupide affectantem sapiunt.

Haec habui, quae de sermone libelli dicerem. Nolui omnes orationis proprietates et discrepantias a vere Xenophonteis scriptis funditus indagare, quod est prolixioris disputationis, quam quae huius commentationis consilio conveniat. Ceterum de iis, quae me offenderunt, suum cuique iudicium libenter committam.

Quod si nunc paucis comprehendimus, quae de laudatione exposita sunt, Xenophontem eam non composuisse nobis persuasimus. Primum enim incredibile est, Xenophontem tam multa ad verbum repetivisse; deinde deprehendimus

1) Cf. Krüger. Griech. Sprachl. §. 46. 1. 3.
2) Cf. §. 521. n. 1.
3) Cf. Gregor. Corinth. p. 691.

non pauca; quae rerum scriptori manifesto repugnant; ad postremum neque libelli compositio neque dicendi genus cum Xenophontis ingenio et orationis conformandae rationi convenit. Quae quum ita sint, Valckenarii sententiam sequi, quam dubiam veterum auctoritatem in hac re malo.

Sed iam audire mihi videor quosdam clamantes: Quis tandem fuit, qui antiquitatis scriptores omnesque recentioris aetatis editores Xenophontis in errorem induxerit? His ita quaerentibus habeo, quid respondeam. Scriptus est libellus ab eo, qui Xenophontem sedulo et diligenter imitatus est. Aliter enim fieri non potuit, ut tot formulae et locutiones, tot sententiae earumque constructiones reperiantur aut eaedem aut simillimae. Nomen quidem compilatoris ignoro, at indolem ingeniumque Valckenarius recte significavit. Nam prodit sophistam quaesitum sermonis genus, produnt eum orationis licentiae seriori aetati assignandae. Qui quo facilius fraudem faceret lectoribus, nonnulla consulto nec sine calliditate immiscuit, quibus quis utique adduci potest, ut laudationem brevi post Agesilai mortem conscriptam esse credat. Ex imbecillitate ingenii eius nimia illa regis admiratio fluxit; quo enim quisque ipse minus ingenio valet, eo caecior solet esse aliorum admirator.